





11  
DISSE<sup>TT</sup>TATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS JVRIDICA

DE  
**MANDATO  
PRAESVMTO**

*Bri. 19. num. 15.*

20

*1732, 2.*

*P 220*  
QVAM  
SVB AVSPICIIS NVMINIS DIVINI,  
ET

CVM CONSENSV AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS,  
PRAESENTE

VIRO MAGNIFICO,  
EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO, AMPLISSIMO,

**DN. ERN. JOH. FRID.**

*S C A R L E T T E*

PHIL. ac JVR. DOCT. CELEBERRIMO, INSTIT. PROFESSORE  
PVBL. ORD. FACVLT. JVRIDICAE DECANO SPECTA-  
BILISSIMO, & h. t. ACADEMIAE RECTORE,  
PATRONO AC PRAECEPTORE COLENDISSIMO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES RITE CAPESSENDI,  
IN ACADEMIA PATRIA VARNIACA

Die 3. April. Anno MDCCXXXII.


H. L. Q. C.

Publico Eruditorum examini submittit

**CAROLVS HENRICVS Möller,**  
ROSTOCH. MEGAPOLIT.

ROSTOCHII,  
Typis IO. IACOB. ADLERİ, SEREN, PRINC. & ACAD. Typogr.







# J. N. J.

## CAP. I.

CONTINENS GENERALIA,  
DE DIVISIONE, ORIGINE, & INDOLE  
MANDATI, IN SPECIE PRAESUMTI.

### §. I.



Arias, variarum vocum Ingressae terminorumque technico- Dissertationis, sicut in aliis disciplinis, ita & in Jure nostro, esse significatio- nes, inter omnes constat. Oritur ex adhibitione ejusmodi vocum aequivocatio; oritur facile obscuritas, & conceptus de re, sub illis comprehensa, apud lectores generalis nimis ac incertus. Opus igitur est, vt, qui rem distinet tradere, & facile se aliis intelligendos praebere amant, quid sub vocibus adhibitis non intelligent, remo- veant; quid vero per eas significari velint, exponant. Idem jam & mihi agendum erit. Agere mecum constitui de *Mandato praesunto*. Ast vocem Mandati generalem ad- modum esse, variasque sub se comprehendere species, quis est juris peritorum, qui ignorat? Summa divisio

A

est,

**Mandatum jurisdictionale.** est, quod mandatum sit vel *jurisdictionale*, vel *conventionalis*. Illud dicitur, quod vi & autoritate Magistratus decernitur, in eoque differt a conventionali, quod hoc suscipere

fit voluntatis L. 17. §. 3. ff. *commod.* illud necessitatis: Hoc originem ex officio & amicitia trahat L. 1. §. 4. ff. *mand.* illud ex obligatione parendi imperantibus debita fluat. Agitur de illo potissimum in *Tit. C. de Mand. Princ. in Nov. 17.*, & a DD, ad materiam *Juris Romani de interdictis*. Dantur etiam quamplurimae ejus subdivisiones, quas tamen, quia de iis differere mihi animus non est, silentio praetereo, ablegans lectores ad eos, qui ex instituto de hac mandatorum specie inter alios scripsierunt, PETRUM FRID. MINDANUM, & CAR. EMAN. VIZZANIUM Conf. III. Dn. BÖHMER de *Jure Epistalmatis*, von Fürstlicher Ordre, vbi inter alia de *praefumtione epistalmatis C. 1. n. 32. seq.* nonnulla affert.

## S. II.

**Mandatum conuentionale.**

Mandatum *conuentionale* dicitur, contractus ille consensualis, quo negotium aliquod honestum, & lege permisum, gratuito gerendum committitur & suscipitur, §. 11. & ult. *J. de Mand. L. 1. L. 22. §. 11. ff. eod.* Sicuti

**Extrajudiciale.**

vero negotia sunt, vel in *judicio*, vel extra *judicium*, expedienda, ita quoque ab his tanquam objecto suo mandatum divisionem accipit in *judiciale* & *extrajudiciale*. Ex-

**expressum**

trajudiciale est, quo alicui committuntur negotia extra*judicia*, Germ. dicitur, *Gewalt*, *Macht* oder *Bonnacht*. Iterum dividitur in *expressum*, quando mandans & man-

**tacitum**

datarius consensum suum verbis vel litteris expresse declarant L. 1. §. 1, 2. ff. *mand.* & *tacitum*, quod inducitur tacito consensu factis declarato, si quis scientis & non prohibentis negotium gesserit L. 6. §. 2. L. 18. L. 53. ff. *eod.* Scientia enim & patientia habetur pro mandato, in his, quae utilia sunt ei, qui patitur, ideoque hic mandati tenetur juxta L. 60. ff. de R. *J.* Imo datur etiam mandatum extrajudiciale *praesumtum*; ut videtur Excell. Dn. LEYSE.

**praesumtum.**

LEYSERO in *Media*. ad ff. T. 3. p. 321. quando scilicet, et si neque ex verbis, neque ex facto, de consensu satis constet, sola praesumtio non quidem legis, sed hominis, mandatum inducit; utpote si tales adsint circumstantiae, ex quibus verosimile fiat judici mandatum intervenisse. Quales vero haec debeant esse circumstantiae, & num haec mandati species adhuc a negotiorum gestione differat, jam non disquiram, quoniam nec de hac mihi in hac dissertatione sermo erit.

## §. III.

Progedior potius ad mandatum *judiciale*, quo lites Mandatum  
alicui in judicio peragendae committuntur, Germ. eine  
Volksmacht. Differentiae ejus a mandato extrajudiciali  
sunt variae, quas videre licet in compendio apud LU-  
DOV. in *Vs. Pr. Distinct. ad Tit. Mand. Diff. I. & SCHLTT.*  
*in not.* Magis e re erit, originem illius ex antiquitatibus *Eius origo*,  
Romanis petitam paullo plenius hoc referre. Olim *nemo* Olim *nemo*  
alterius nomine lege agere poterat L. 123. ff. de R. J. nec alteri pro alio in  
petere, nec jus alienum in judicium deducere mero jure licebat, *mittebatur*  
ad CIC. pro Q. Rosc. *Comodo*. Praesentia litigantium praecise  
requirebatur, ita ut ne senibus quidem daretur excusa-  
tio, hinc durissima illa Lex XII. TABB. SI. IN. JVS. VO-  
CAT. SI. MORBV. ÆVITASVE. VITIVM. ESCIT.  
QVI. IN. JVS. VOCABIT. JVMENTVM. DATO. SI.  
NOLET. ARCERAM. NE. STERNITO. cuius explicatio-  
nem legis apud GELL. in *Noct. Att.* L. 20. *Cap. 1.* Conf.  
RITTERSHUS. ad pr. J. de iis, per quas, &c. Imo nec ob  
moribum fonticum admittebatur procurator, sed dies dif-  
findebatur i. e. differebatur, secundum Legem antiquissi-  
mam: SI. MORBV. SONTICVS. VOTVM. ABSEN-  
TIA. RFIP. ERGO. AVT. STATVS. DIES. CVM. HOSTE.  
INTERCEDAT: NAM. SI. QVID. HORVM. FVAT.  
VNVM. JVDICI. ARBITROVE. REOVE. EO. DIE. DIF-  
FENSVS. ESTO. JAC. RAEWARD. ad LL. XII. TABB. *Cap.*  
*V.* Faucas saltem exceptions afferit Imperator in pr. J. de quibusdam  
A 2 iis,

saltim casis, per quos Sc. vbi ait, cum olim in usu fuisset, alterius nomine bus exce- agere non posse, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela. Prae-  
terea Legi Hostilia permisum erat furti agere eorum nomine, qui apud hostes essent, aut reipubl. causa abessent, quive in eorum cu-  
jus tutela essent. Sed necessario hae causae fuere exceptae:  
quoniam nec vniuersi agere possunt, nec servo jus erat  
lege agendi, quam ob causam assertor constituebatur tot.  
*Tit. C. de assert. toll.* Pupillus autem propter aetatem in  
judicio confistere non poterat. VANN. ad pr. J. eod.

## §. IV.

Rationes denegatae hujus per procuratores agendi  
licentiae, si quaeritis, varias deprehendes. Prima est, quod  
omnes actiones, secundum Veterem Jurisprudentiam  
formulariam, erant solennes, id est certis ac legitimis con-  
stabant formulis *L. 2. §. 6. ff. de Orig. Jur.* quas proinde suo  
quemque nomine & praesentem proponere oportebat.  
Erant enim legis actiones, quas nec diem, nec conditionem,  
nec procuratorem admissibilem juris fuit certissimi *L. 123. ff.*  
*de R. J.* Secunda est, regula Juris antiqui Romani, quam  
tradidit Imperator in §. 5. *J. per quas pers. cuiq. adq. per extra-*  
*nam personam nihil acquire posse.* Jung. *L. 126. §. 2. ff. de*  
*verb. obl.* *L. 73. §. vlt. ff. de R. J. L. II. §. pen. ff. de pign. act.*  
hinc enim consequens erat, nec per sententiam judicis ex-  
traneam personam acquirere, ideoque pro alio agere non  
posse. Tertia est, quod actiones olim in stipulationes fuere  
deductae, stipulari vero aliis nemo poterat ex tritissima  
juris Romani regula. *L. 38. §. 17. ff. de verb. obl.* ideoque  
nec in judiciis pro alio intervenire. Ex his igitur aliisque  
non potuerunt non inferre veteres Romani, necessariam  
esse litigantium praesentiam nec posse quemquam alieno  
nomine vel intendere actionem vel excipere. Celeb. HEI-  
NECC. *Antiq. Rom. L. 4. T. 10. §. 2.* BÖHMER. *Diff. de*  
*domin. litis. C. I. §. 14. seqq. conf. CAR. BRETVS in ord.*  
*per antiq. jud. civil. C. 16. p. 44. seqq.* SCHVLTING. *Jurisp.*  
*Annejust. p. 221. seqq.*

## §. V. Sed

Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine, neque agere, neque excipere actionem licet: Nam & morbus. & actas & necessaria peregrinatio, itemque multae aliae causas siue hominibus impedimento sunt, quo minus rem sumam ipsi exequi possint; verbis vtor imperat, in pr. J. de iis per quos agere &c. inventi demum sunt cognitores & procuratores, qui lites aliorum suscipient. Conueniunt utriusque horum in eo, quod causarum fuerint ministri & suffragatores; Sed quaenam inter eos intercesserit differentia de eo sacrificie inter se dissentient antiquitatum indagatores. Cognitores, judices a principe datos; procuratores vero, mandato privatorum constitutos fuisse, existimat JAC. GVTHER de off. dom. ang. L. I. C. 25. Aliter CVJAC. L. 14. Obs. 30., eos proprie cognitores dictos fuisse putans, qui defensionem praefentis ultro suscepient, adeoque pro isdem, cum stricte sic dictis defensoribus, eos habet. Plerique ex autoritate FESTI L. 3. voc. cognitor, & ASCON. PAED. ad Cic. divin. C. 4. in eo discriben cognitores inter & procuratores quaerunt, quod hi causam egerint absente litigatore, illi vero praesente. CVJAC. ad Paul. sent. L. I. T. 2. ANIAN. ad Tit. de cogn. & proc. C Theod. FRANC. POLLET. Hist. for. Rom. L. 2. C. 2. Ill. BÖHMER. cit. diss. C. I. §. 21. Evidem WISSENB. in Emblem. Tribon. ad L. 38. §. 8. ff. de poen. hanc differentiam solum accidentalem vocat, essentiale in eo constituens, quod procurator negotium in se suscepit, & dominus litis effectus fit: cognitor vero vicariam tantum, & ministri operam praebuerit; in se judicio non translato. At non facile arridet haec sententia, quoniam ad salvanda juris Romani antiqui principia, de quibus §. praece. diximus, necessarium fuit, etiam in cognitores aequa ac procuratores dominium litis transisse: de quo notabilem locum CICER. pro Roso. Comoed. affert. Dn BÖHMER. loc. cit. Optime & more suo, hoc est, eruditus, rem componit Cl. HEINECCIVS loc. alleg.

A 3


S. 3.

Quomodo  
hi diffe-  
runt.

§. 3. duplicem tradens differentiam, Primo, quod cognitores praecipue in status controversiis; procuratores in reliquis causis civilibus locum habuerint. Deinde, quod cognitores cum solennitate aliqua a praesentibus: procuratores sine ejusmodi solennitate per mandatum ab absentibus fuerint constituti. Conf. CVJAC. & WISSENB.  
*loc. cit.* Quicquid demum sit, aeo jam Justiniani opera aequa ac ipsum nomen *cognitorum* ab vsu recesserat, hinc cognitoris. est quod etiam in jure nostro non amplius reperiatur, sed Tribonianus illud ubique expunxerit. Patet hoc inter alia ex L. 38. §. 8 ff. de poen. ubi ita legitur: *Si quis instrumentum litis suae, a procuratore aduersario proditum esse, convicerit; procurator, si humilior sit, in metallum damnatur: si honestior, ademna parte honorum dimidia, in perpetuum relegatur.* Cum tamen Paulus, ex quo haec lex desumpta est, in L. 5. Sentent. T. 25. §. 7. ita scripsérat: *Si quis instrumenta litis suae a procuratore suo, vel cognitore, aduersario prodita esse convicerit, tam procurator, quam cognitor, si humiliores sunt, in metallum damnantur: si honestiores, ademna dimidia parte honorum in perpetuum relegantur.*

## § VI,

Maneat nomen procuratoris. Remansit igitur in Jure nostro sola vox *procuratoris*, cuius itidem varii sunt significatus. In sensu generali sub nomine procuratorum veniunt, qui aliena negotia mandato domini administrant. L. 1. pr. ff. de procur. in sensu specialiori ita dicuntur, qui lites alienas in judicio persequuntur, & judiciales vocantur L. 1. §. 2. eod. Hi constituantur vel ad agendum ab actore, vel ad defendendum a reo. L. 8. pr. eod. posterioris generis procuratores dicuntur etiam in jure *defensores*, late scilicet, quatenus procuratoribus stricte dictis non contradistinguuntur L. vn. C. de satisd. L. 51. §. 1. ff. de procur. stricte autem vocantur defensores, qui sine mandato reum in judicio defendant subr. Tit. ff. de procur. Et NB. *defensoribus*. ILL. DN de BERGER. in osconom. Jur. L. 4, T. 9, §. 2. LUDOVICI Doctr. ff. Tit.



*Tit. de procur. §. vlt. aliisque DD. ad eundem Tit.* Non satis  
igitur accurate mihi loquutus faisse videtur BEYER in  
*Delin. Jur. Civ.* qui in post. 9. ad Tit. J. de iis, per quos agere  
Et. & pos. 7. 88. ff. de procur. sub nomine defensorum et-  
iam eos intelligit, qui pro auctore sine mandato in judi-  
cio admittuntur, cum tamen hi potius quasi procuratores  
audiant, uti mox pluribus dicam, adeoque adhuc diver-  
sam a defensoribus speciem constituant. Sunt autem dif- Differentiae  
ferentiae, quae procuratores & defensores intercedunt, ejus a pro-  
satis ampliae. Procurator postulat pro auctore, ejus man- curatore.  
dato, & rem in judicium dedit. Defensor pro reo L.

11. §. 7. ff. de except. rei. jud. vel procurator est auctoris & rei  
cum mandato, defensor rei sine mandato L. 46. §. 2. L. 76.  
ff. de procur. L. 2. §. 3. C. de jurej. propt. cal. DIÓN. GO-  
DOFR. ad L. 51. ff. de proc. lit. s. CUJAC. in Paratitl. ad  
*Tit. eund.* Procurator mandato instructus non cavit; De-  
fensor sine satisfactione Judicatum solvi non admittitur,  
etiam si habeat mandatum. §. 2. J. de satisd. L. 76. ff.  
de proc. nisi dominus eam pro ipso praeliterit. L. vn. C.  
de satisd. §. 4. s. J. d. t. in reali autem actione, praeter  
solitam satisfactionem judicatum solvi, etiam ad cautio-  
nem de rato tenetur, si ante litem contestata petatur L.  
47. §. 2. 3. ff. de proc. LAUTERB. in Comp. ff. ad. d. t. in fin.  
BÖHMER. *Jus Dig. eod. tit.* §. ult. BERGER L. cit. §. 1. not. 3.  
Procurator nemo regulariter sine mandato admittitur, ne  
judicium redditur elusorum. BRUNNEM. Proc. Civil. C.  
1. n. 77. seqq. Defensor contra pro absente quisque admit-  
titur etiam sine mandato, ob publicum defensionis favo-  
rem, L. 33. §. 2. ff. d. t. vbi ita: *publice utile est, absentes a qui-*  
*buscunque defendi.* Conf. MEV. P. 4. Dec. 361. Hodie  
potissimum sub nomine defensorum veniunt advoca-  
ti inquisitorum, ad quos tamen jam dicta applicari non  
possunt, quia non satisfant, nec mandato opus habent,  
sed interdum quoque a Magistratu ex officio, etiam invi-  
tis, constituantur. LUDOV. vs. pr. Disinct. ad Tit. de proc.  
d. 4. BRVNN. in Proc. inquis. c. 8. membr. 3. Sed haec tangere  
saltēm

saltem volui, ut indicarem, me de procuratoribus pro reo, vel cum vel sine mandato, intervenientibus, in praesenti non esse acturum. Satis prolixe de his scripsierunt NIC. CISNERUS & CASPAR MANTZIUS *de Procuratoribus & defensoribus.*

## §. VII.

Vel actoris,  
& dicitur  
procura-  
tor.

Qui consti-  
tuebatur o-  
lim solen-  
niter.

Postea mi-  
nus solen-  
niter.

per manda-  
tum.

Venio jam ad procuratores in sensu specialissimo, qui actoris vices subeunt cum mandato, qua ratione accipiuntur in L. 9. §. 6. L. 34. §. 1. & 3. ff. *de Jurejur. D. HAHN. ad Wesenb. parat. tit. de proc. n. 1. 2. 3.* Ab his, antiquissimis temporibus, solenni quadam ratione apud acta procurationem fuisse suscepitam, adeoque certam adhibitam fuisse formulam, verbis quibusdam solennibus conceptam, qua praesentibus adversariis constituerentur, haud videtur improbabile, teste RAEVARD. *ad L. 121. ff de R. J. Idem ex §. 1. J. de iis, per quos &c. colligit VENN in Com. ad evnd. loc.* Hinc est, quod haud iniquum visum fuerit nonnullis, procuratoris dationem referre inter actus legitimos, de quibus agitur in L. 77. ff. *de R. J. vid. DION. GODOFR. in not. ibid.* Refellit eos CUJAC. L. 15. obs. 16. qui tamen ad noviora potius tempora respexisse videtur, quibus solennitate ad constituendum procuratorem opus amplius non fuisse, certum est. Sic enim PAULUS scribit L. 1. Sent. Tit. 3. Mandari potest procuratio praesentibus, & nudis verbis, & per litteras, & per nuntium & apud acta praesidis & magistratus, jung. L. 1. §. 1. ff. *de procur.* Sic Imperator in §. 1. J. de iis, per quos. Procurator, ait, neque gertis verbis, neque praefite semper aduersario, imo & plerunque eo ignorantie, constituitur. Cuicunque enim permiseris rem tuam agere, aut defendere, is tuus procurator intelligitur. Nihil igitur amplius requirebatur quam sola voluntatis principalis declaratio, se hunc velle procuratorem constituere, ita ut nihil interesset, sive illa verbis, sive facto, sive praesumtione legis constaret. Hinc origo mandati judicialis, Hinc variae ejus divisiones. Est enim vel expressum, vel tacitum

tum, vel praesumtum. Duo priora paucis tangam. De posteriore mihi ex instituto sermo erit.

## § VIII.

Mandatum *expressum* dicitur, quod consensu vtrinque expresse declarato inducitur L. I. §. 1. ff. de procur. & contrahitur vel apud acta seu in judicio, si praefens dominus litis in judicio procuratoris personam confirmaverit, dicendo: *Hunc ego pro me constituo §. 3. J. de satisd. ibique THEOPHIL. in paraphr. idque protocollo inseri curauerit.* STRYCK. ad Laut. Tit. de proc. voc. apud acta: vel extra judicium, per traditionem mandati, melioris probatioris gratia in scripturam redacti Hoc *zat iżexxv* dicitur procuratorium, Germ. Gewalt, Vollmacht, ejusque formam & varia requisita satis prolixe exposuerunt L. B. de LYNCKER de form. procurat. NOB. DN. de BERGER in formaliter, wornach die Vollmachten einzurichten. Conf. STRYCK. Caut. contr. S. 2. C. II. §. 12. & seqq. & DD. ad Tit. ff. de proc. Reliquos modos constituendi mandatum expressum per nuntium, per epistolam L. I. §. 1. ff. eod. imo etiam nutu, arg. L. 43. pr. eod & L. 52. §. fin. ff. de O. & A. & per subsequentem ratihabitionem L. 66. eod. L. 70. ff. de R. J. lubens praetereo. Legantur DD. ad. Tit. cit.

## § IX.

Mandatum *tacitum* vocatur, quod consensu factis saltem declarato, constituitur. Casus, quibus hoc ex parte principalis interuenisse videtur, tres potissimum a DD. a parte afferuntur. Primo. Si quis patitur negotia sua ab alio in principaliis.

judicio geri; nec contradicit. L. 6. §. 2. L. 18. ff. Mand.

*Qui enim tacet, consentire videtur c. 43. de R. J. in 6to & patientia scientis, sicut communiter pro consensu, ita in iudicio pro mandato habetur.* MEV. P. 2. D. 159. Aliter quidem videtur STRYCKIO in V. M. Tit. de proc. §. 28. & in not. ad Lauterb. eod. tit. putans L. 18. cit. tantum in extrajudicialibus locum habere, quia in praxi mandatum semper ad acta referendum. Add. DN. BOEHMER. D. 7.

B

de

de Dom. lit. c. 3. §. 13. HOPP. ad §. 1. J. de iis, per quos. in  
 V. H. Communiorem tamen, & aequiorem, legibus etiam  
 convenientiorem cum MEVIO loc. cit. puto eam senten-  
 tiā, quae patientiam non contradicentis pro mandato  
 habet. Conf. IDEM. P. 5 D. 269 n. 6. BRUNN. ad L. 18.  
 ff. Mand. & L. 6. C. eod. CO THM. P. 2. Resp. 99. n. 113.  
 Haec tamen addenda limitatio est, nisi pars vel iudex ex-  
 pressum mandatum exigat, licet enim patientia principali-  
 lis, respectu ipsius quidem loco mandati sit, ita ut judi-  
 cium subsistat, & ille gesta a procuratore revocare non  
 possit; non tamen hoc procedit respectu adversarii vel ju-  
 dicis, quibus semper mandati exigendi potestas salva  
 manet. Ill. Cancell. de KLEIN in Not. ad Schöpp. Syn. Tit.  
 de proc. n. 14. MEV. P. 2. D. 159. Secundo: Si quis litteras pro-  
 curatoris, quibus se hoc vel illud acturum esse significat,  
 retinet, nec contradicit; qui enim, cum deberet, non con-  
 tradicit, consentire intelligitur. SCHOEPFF. in Syn. Tit.  
 de proc. n. 15. &, quem citat, MEV. P. 2. d. 140. n. 8. seqq.  
 Tertio: Si quis ab initio cum procuratore comparet in ju-  
 dicio, deinde vero mox recedit, & hunc solum agere pa-  
 titur; quod tamen si in uno termino a praesente domino  
 factum est, quoad caeteros terminos & totum processum  
 extendi vix potest. LEYSER. Med. ad ff. V. I. p. 584. Nec  
 consensus solum principalis, sed etiam procuratoris tac-  
 tus ex facto elicitor. Vulgatus inter DD. est casus ex  
 Clem. I. de procur. : Si quis litteras principialis manda-  
 tum continentis, acceperit, legerit, retinuerit, nec debita  
 protestatione sibi consuluerit. Hic enim, cum per ac-  
 ceptationem litterarum assensum ad omnia illarum conten-  
 ta praebusse videtur, obligatus est, ut principalem de-  
 fendat, imo ad hoc cogi potest, & tenetur, si mandatum  
 tacite ita suscepimus, non debito modo expedivit. Aliud  
 quid em videtur dicendum Jure civili ob L. 8. §. 1. ff. de  
 proc. vbi inuitus procurator dicitur, non tantum qui expresse  
 contradicit, sed etiam qui consensisse non probatur; ita ut hoc  
 jure

a parte pro-  
curatoris,

jure expressa voluntatis declaratio in procuratore requiriatur. In Praxi tamen jus canonicum prae jure civili, approbatum esse testantur inter alios trigae JCTorum Illustrium STRYCK. V. M. Tit. de procur. §. 28. BÖHMER. Jur. Eccles. T. I. p. 910. §. 17. BRVNN. ad L. 8. §. 1. ff. de proc. & L. 18. Mand. Modo (1) litterae omnia necessaria ad causam instrumenta contineant. d. Clem. I. (2) acceptans impedimenta probare non possit, quibus impeditus non respondebit. SCHOEPPF, Syn. Tit. de proc. n. 18. HOPP. ad §. I. J. de iis, per quos &c.

## §. X.

Mandatum denique *praesumtum*, de quo in primis in hac dissertatione agere constitui, illud dicitur, quod absque ullo *praeuio*, vel verbis vel factis principalem inter & procuratorem declarato consensu, ex certis circumstantiis in quibusdam personis adesse *praesumitur*. *Praesumti* autem dum assero, non abs re fore reor, de qua illud intelligentendum sit *praesumptione*, paucis exponere. Constat, Doctores *praesumptionem* communiter dividere in *praesumptionem legis*, quae a Jure per argumenta probabilia ex variis circumstantiis inducitur LAVTERB. Comp. Tit. de prob. & praef. lit. D. & hominis, quae in jure non est determinata, sed colligitur ex variis circumstantiis probabilitatem aliquam judicii ingenerantibus. BÖHMER. *Jus Eccles.* T. I. p. 1258. ZOES. ad Tit. ff. de probat. n. 13. *Praesumptionem legis* subdividunt JCTi in *praesumptionem juris tantum*, & *praesumptionem juris & de jure*: illam describentes, quod sit opinio, quam lex infert ex indicio vel ratione probabili, ita tamen, ut super *praesumto* non simul disponat. MENOCH. de *praesumt.* L. I. qu. 4. per tot. hanc definientes, quod sit dispositio legis aliquid *praesumentis*, & super *praesumto* tanquam comperto fibi stantibus, rejecta probatione in contrarium ALCIAT. in Tr. de *Praef. in praelud.* P. 2. n. 3. His *praemissis* facile liquet non esse *praesumptionem juris & de jure*, nec *praesumptionem*

praesum-  
tum,ex *praesumtione*  
legis.

sumptionem solius hominis, sed presumtionem legis sive  
juris tantum, quae mandatum inducit. Sequitur hinc,  
quae de presumtione juris praedicantur qualitates, et  
iam in mandato presumto locum inuenire. Sic quem-  
admodum presumptio juris relevat ab onere probandi,  
illudque rejicit in aduersarium L. 23 ff. quod metus caus.  
MEV. P. I. D. 118 n. 6. BRUNN. qu. 26. ad Wesub. tit. de  
probat. ita quoque dubium non est, quin personae, pro  
quibus militat presumptio mandati, necesse non habeant,  
ulteriori probatione mandati sui fidem facere, sed potius  
aduersario dubitanti injungendum esse, ut probet, ipsos  
agere iniurias principalibus, nec illorum gesta hos esse  
ratihabitueros. Sicuti porro, quod presumtione juris ni-  
titur, alio non adducto pro veritate habetur, ita ut judex  
in caussis civilibus pro eo pronuntiet, pro quo est pre-  
sumptio. MEV. P. 4. D. 316. n. 6. 7. & D. 355. ita etiam  
mandatum presumptum, in casibus a lege determinatis,  
judex & aduersarius tamdiu pro sufficienti agnoscere, &  
personas eo instructas in iudicio admittere debent, donec  
veritas contraria evidenter aliunde probetur. Denique  
vti omnes presumtiones juris admittunt probationem in  
contrarium BRVNN. Proc. Civil. C. 24 §. 2. Sic etiam ex-  
tra controversiam est, omnem mandati presumpti vim  
evanescere, vbi de veritate aliter constet. L. 40. S. 4 ff. de  
procur: Imo & hoc addendum: Sicuti presumptio juris  
immediate ex lege descendit nec ultra potest extendi, quam  
in lege expressum. LVDOV. Vf. pr. Distinct. Tit. de prob.  
Dist. 5. ita etiam mandatum presumptum validitatem su-  
am immediate a lege accipit, & ultra personas & casus in  
LL. expressos locum non inuenit.

## §. XI.

Differit hoc mandatum presumptum, a tacito. Quo  
frequentius enim haec distinctio negligitur, & tacitum  
cum presumto a nonnullis DD. male confunditur, ut lo-  
quitur LVDOV. L. cit. Tit. de pact. eo magis hoc loco neces-  
farium

Differit a  
tacito.

sarium erit, hanc confusionem euitare, & utrumque ab inuicem sollicite discernere. Differentia potissimum in eo consistit: (1) Mandatum tacitum praesupponit consensum verum, licet non verbis vel scriptis, facto tamen declaratum; praesumtum se fundat in consensu improprie sic dicto siue quasi consensu, qui a Lege ex certis circumstantiis adesse praesumitur. Hinc a Doctoribus accurate loquentibus mandatum dispescitur in verum & praesumtum, & illud demum iterum in expressum & tacitum. Dn. de BERGER. *Oecon. Jur. L. 4. T. 9. §. 1. not. 4.* LVDOV. *Doct. ff. Tit. de procur. §. 12.* (II) Mandatum tacitum praesupponit scientiam & tacitum initiatem ejus, cuius lites in iudicio peraguntur; praesumtum eam excludit, & vi legis interuenisse praesumitur, licet mandans praesumtive talis plane nihil negotium suum curari sciat. Dn. de KLEIN L. *supr. cit. n. 14.* Haud inique igitur annotationem *Cl. DRESSELI in not.* meruit. B.Dn. SCHOEPPFERVS, qui in *Syn. Tit. de procur. n. 16.* mandatum tacitum sub nomine mandati praesumti intelligit. Errauit quoque B. HOPPIVS, vbi in *Comm. ad pr. f. de oblig. quae quasi ex contr. ad praesumtum consensum, factum aliquod requirit, quia vbi ex facto de consensu constat, verus consensus adest, nec opus est praesumtione legis.* Afferit quidem regulam: propositum in mente retentum, i. e. nec verbis nec facto declaratum, nihil operatur, eamque exemplo *Legis 7. C. de condic. ob caus. dat. comprobat.* Ast enim vero, quantum ad regulam attinet, illa intelligenda est sub limitacione, nisi lex vel aquitas naturalis citra illum interueniens factum aliquid praesumit; lex autem ab ipso allegata de alieno plane a quasi contractibus casu loquitur, scilicet quod donatio ideo revocare non debeat, quia donans datum repetendi animum habuerit, non vero expresserit. Conf. LEYSER. *Medit ad ff. T. 3. p. 321.* Imo, quod mirandum est, non satis hanc taciti & praesumti confusio nem euitauit vir alias acutissimus & philosophus eximius

PVFENDORFFIVS de. J.N. & G. L. 3. C. 6. §. 2. ita scribens:  
*Sic quando absentis negotia citra expressum mandatum geruntur, paetum, existit tacitum, quo postquam unus operam suam rebus alterius utiliter accommodavit, alter eandem pensare una cum sumbitibus factis tenetur. Utique enim praesumitur, alterum, si sciunt, in hoc expresse consensurum.* Idem L. 5. C. 4. §. 1. fundamentum actionis negotiorum gestorum non incommode, putat, posse vocare mandatum tacitum. Constat enim fundamentum quasi contractuum Juris Rom. esse non consensum verum adeoque nec tacitum, quippe qui veros producit contratus, sed consensum a Lege & aequitate naturali praesumtum. HOPP, loc. cit. vno verbo: longa inter tacitum & praesumtum est differentia, vti egregie demonstravit THOMAS. in *Jurispr. div.* L. 2. C. 7. §. 19. seqq.

## §. XII.

Personae in quibus hoc mandatum praesumtum locum habet vocantur *Quasi procuratores*. Quoties enim vel similitudinem viuis rei cum altera indicare, vel lacunas antiqui Juris Romani supplere, vel rem ex praesumtione & fictione legis denotare voluerunt veteres JCti: toutes adhibuerunt particulam *quasi*, vti eruditæ exemplis in jure occurrentibus demonstravit Francofurtenium Antecessor HOFMANNUS in *Diss. de significat. & usu part. quasi in jure Rom.* Eundem morem sequuti sunt nostri JCti, & quotidie adhuc imitantur, si rem proprio nomine destitutam, cum alia tamen certo termino significari solita similitudinem habentem, describere velint. Exempli loco inter alia jam esse potest vox *Quasi procurator*. Quae quanquam in jure nostro certe hoc sensu vix occurret, in L. 65. enim *de procurat.* sub voce *quasi procuratoris* ille saltem venit, qui factæ a principali revocationis incius judicium expertus est: a JCtis tamen nostris ad eas personas, quae mandatum habere praesumuntur, denotandas frequentissime adhibetur. Vid. BERGER loc. alleg. §. 2. LAUTERB. *Comp. Tit. de procur. in pr.* SCHOEPF. *Syn.*

Syn. eod Til. n. 27. LUDOV. V. pr. Disf. cod. Tit. Disf. 2. a<sup>2</sup>  
*liuque.* Equidem Vlpianus in L. 3. §. 3. ff. judic. solv. quod  
 enim, ait, *eis* (personis scilicet, a quibus mandatum non  
 exigitur) *agere permittitur editio praetoris, non facit eos pro-*  
*curatores.* Sed quis non videt, eum sub nomine procurato-  
 rum intelligere veros procuratores, qui vel ex man-  
 dato vero vel ratihabitione agunt; idemque illud occasio-  
 nem dedisse nostris JCtis personas illas non verorum, sed  
 saltem quasi procuratorum nomine insignire? Differunt  
 itaque quasi procuratores (1) *a veris*, qui mandato, eoque  
 vel expresso vel tacito, & ratihabitione constituuntur L. 3.  
 §. 2. ff. jud. solv. (2) *a falsis*, qui nullum nec verum nec prae-  
 sumptum habent mandatum, adeoque ab omni judicii  
 parte etiam ex officio repelli possunt, L. 24. C. de procur.  
 L. 27. ff. cod. (3) *a negotiorum gestoribus*, qui alterius nego-  
 tia extrajudicialia sine mandato, sponte, & quidem abs-  
 que praefixa cautione gerunt. L. 20. C. de neg. gesl. Neque  
 inconcinnne mihi videtur personas mandato praesumpto  
 gaudentes dicere *procuratores voluntarios*. Quamvis enim  
 alias procuratores voluntarii in genere dicantur, qui se  
 alienis negotiis sine mandato offerunt, adeoque & negoti-  
 torum gestores sub se comprehendant. Quorsum egre-  
 gie facit locus CICERONIS in Bruto circa init: *Mibi quo-*  
*que, inquit Brutus, & expectanda sunt ea quae Attico polliceris,*  
*et si fortasse ego a te hujus voluntarius procurator petam, quod*  
*ipse, cui debes, se incommodo tuo exacturum negat.* Conf. CUJ.  
 in Paratil. ad. ff. Tit. de neg. gesl. Sicuti tamen procuratores  
 simpliciter dicti, in genere quidem vocantur illi, qui al-  
 liena negotia mandato domini administrant L. 1. pr. ff.  
 de procur. adeoque & mandatarios sub se continent; in-  
 specie vero hi, qui lites alienas ex mandato principalis in  
 judicio peragunt per supra tradita §. 6. Ita etiam apte  
 fatis, meo quidem judicio, sub nomine procuratorum  
 voluntariorum in sensu specialiori illi saltem veniunt,  
 qui sine mandato principalis se litibus in judicio agen-  
 dis

&amp; differunt

a veris

a falsis

a negotio-  
rum ges-  
toribus.Possunt et-  
iam dici  
procurato-  
res volun-  
tariorum.

dis' offerunt. Et hoc quoque collimare videtur, quem CUJACIUS L. 7. obs 26. afferit, PAULUS, in sententiis incidentibus L. I. T. 3; voluntarius, inquiens, procurator, qui se alienis negotiis offert, rem ratam dominum habiturum cavere debet. Differunt autem procuratores voluntarii a necessariis qui mandato dominorum constituuntur: nam et si beneficii & nudae voluntatis sit, suscipere mandatum, necessitatis tamen est illud suscepimus consummare ut loquitur PAULUS in L. 17. §. 3; ff. commod. jung. §. II. *J. mandat.* etiam si nondum quidquam gerere coepit sit, L. 6. §. I. ff. *Mandat.* Voluntarii e contra non ante obligantur quam negotium alienum gerere cooperunt; quanquam vbi cooperint, deserere quod inchoatum sit, non possint. d. L. 17. §. 3. Neque aliis ejusdem amici negotiis gerendis obstringuntur, quia secundum L. 20. C. de neg. gest. propria voluntas ipsis finem administrationis facit ac satis abundeque sufficit, si cui vel in paucis amici labore consulatur Add. L. 39. §. 2. in fin ff. de admin. & per tut.

§. XIII.

Haec de generalibus mandati, inspecie praesumti, sufficient. Transeo jam ad specialia, quae tribus capitibus optime includi posse visa sunt. Hinc Cap. seq. de fundamentis & requisitis mandati praesumti, Cap. III. de personis, in quibus mandatum praesumtum locum habet, & Cap. denique IV. de effectibus mandati praesumti judicialibus agere constitui. Deus conata secundet.

## CAP. II. DE FUNDAMENTIS & REQVISITIS MANDATI PRAESUMTI.

§. I.

**M**andatum, dominum causae inter & eum, qui illius nomine rem in judicium deducit intervenisse, res facti est, maximique praejudicij, quia, ut loquuntur Doctores, per mandatum judicium substantiatur. ZANGER

ZANGER. *de except. P. 2. C. 8. n. 2. seq.* BRUNN. *Proc. Cr. vil. C. 1. n. 77.* Hinc regulariter non praesumitur, sed ab eo, qui lites alieno nomine suscipere vult, in iudicio semper producendum est. CARPZ. *Decis. 204.* Sunt tamen certi casus certaque personae, in quibus praesumptio haec mandati locum habet. Fundamentum hujus praesumptionis est vel remotum vel proximum. Proximum est dispositio Legis, quae quibusdam personis sine mandato agere permittit L. 35. pr. *ff. de procur.* L. 12. L. 21. C. *eod* L. 2. C. *de conf. ej. lit.* C. 34. X. *de off. & pot. jud. del.* Adeo enim hic, ut supra *Cap. praece.* §. 10. praesupposui, praesumptio juris, quae per sui naturam in legibus fundata ac determinata esse debet. Evidem vocem mandati praesumpti in legibus expresse vix reperties, bene tamen virtualiter. Nam cum leges a regula: nemo pro auctore sine mandato admittitur, in quibusdam personis fecerunt exceptionem, licet rationem hujus dispositionis non addiderint; liberum fuit Doctoribus fundamentum hujus exceptionis inquirere, illudque optimo consilio in mandato praesumpto posuerunt, quia sic regula juris allegata salva conservatur.

## §. II.

Fundamentum *remotum*, iterum est, vel *primarium*, vel *secundarium*. Illud oritur ex coniunctione, quae inter quasi procuratorem & mandantem praesumptive talem intercedit. Hinc personae, quibus ex mandato hoc praesumptio agere licet, vulgo dicuntur personae coniunctae. LAVTERB. *diss. de caut. rat. a conjunctis praef.* STRYCK. *Intr. ad Pr. C. 10. §. 11.* SCHOEPFF. *Syn. Tit. de proc. n. 27.* Oritur autem coniunctio, ex sex potissimum fontibus, ut pote (1) *Confinguitate*, (2) *Affinitate*, (3) *conjugio*, (4) *communione causae*, (5) *amicitia*, de ultimo tamen dubium est, ut cap. *seq.* videbimus, (6) *jure patronatus*. Rationes, cur ex hac coniunctione mandatum praesumatur, potissimum tres affiri possunt. *Prima est*, praesumpta voluntas *principalis*;

Funda-  
mentum  
proximum

Funda-  
mentum  
remotum  
primari-  
um.

cipalis; quia enim mandatum originem ex officio & amicitia trahit, juxta L. I. §. vlt. ff. Mandat neque, ut loquitur CICERO pro Sexto Roscio: mandat quisquam fere, nisi amicos; neque credit ei, nisi quem fidem putat; vero sane haud absimile est, dominum susceptionem causae suae conjuncto demandare maluisse, quam extraneo. Secunda est, praesumta bona fides agentis, quod ob conjunctionem cum principali optime sciat, an hic causam suam in judicium deduci velit, quodque nihil acturus sit absque beneplacito hujus ac voluntate. Tertia denique est, proprium interesse, ex administratione causae secum conjuncti ad agentem redundans. Ex hoc enim vtrumque, & voluntas principalis, & bona fides quasi procuratoris, ejusque in agendo negotio dexteritas facilissime colligitur. Illud tamen hic notandum, ejusmodi conjunctionem non in genere sufficere, ad presumtionem mandati, sed quia haec juris est non hominis, vt cap. prae. §. 10. monui, provisio insuper legis concurrere debet; quare certae saltem sunt personae, certique causas, in quibus mandatum ex hoc fundamento praesumitur, quod ex infra dicendis apparebit.

## S. III.

Restat fundamentum remotum *secundarium*, quod consistit in ejusmodi indicio ac signo, ex quo lex mandatum, agentem inter ac principalem, de re tractanda, intervenisse, probabiliter colligit. Pertinet huc casus, quando quis omnia instrumenta ad causam pertinentia producit, & vir alias integrae fidei sit, ita ut probabile non videatur, eum invito domino talia instrumenta possidere, sed quod potius eadem ad rem ex eis agendam a domino acceperit. Ast de hoc latius infra. Illud potius quaero. Annon ex longissimi temporis effluxu peti posset fundamentum mandati praesumti? e. g. si quis per plures annos alterius negotia gesit, isque non contradicit. Videri posset quod sic, quia alias ex lapsu diurni tempore.

An ex longo tempore praesumuntur mandatum?

Fundamentum remotum secundarium.

temporis, & eodem rei statu inconcuso semper manente,  
de rei veritate peti soleat argumentum ; adeoque habe-  
ret, quod negligentiae suae imputaret dominus , quod  
per longum temporis spatium de administratione nego-  
tiorum suorum non fuerit solicitus , nec, quem ea ad-  
ministrare noluerit, prohibuerit. Sed respondentum est  
negando. Conueniunt enim plerique Doctores in eo,  
quod mandatum non presumatur, etiam si quis per mille  
annos, ut loquuntur, in judicio steterit. STRYCK V.M.  
Tit. de proc. §. 28. BRVNN. ad L. 24. C. de proc. n. 12.  
CARPZ. Dec. 204. 297. TREVTL. V. 5. Disp. 9. §. 9. lit. d.  
& quos illi citant DD. Ratio est : quod ex defectu man-  
dati oriatur nullitas processus insanabilis, quae nullo tem-  
poris lapsu, ideoque nec desumpta ex illo praesumptione,  
tolli potest. Hinc notum est privilegium exceptionis de-  
ficientis mandati, quod etiam post litem contestatam in  
quacunque judicij parte opponi possit. ZANGER, de ex-  
cept. P. 2. c. 8. n. 36. GAIL, L. I. Obs. 47. n. 2. Adde &  
hoc, quod casus hic in Legibus non sit determinatus, adeo-  
que deficiente lege , deficit etiam praesumptio mandati,  
per saepius jam tradita.

## S. IV.

Expositis ita fundamentis subjungo requisita, inter Requiritur.  
quae primum est, ut <sup>(1) vt principali</sup> *principalis*, pro quo ex mandato praesumto aliquis admitti debeat, talis sit, ut <sup>ut principali</sup> *expresse mandare possit*.  
Praesumptio enim, ut loquuntur DD., debet adaptari ad <sup>ut principali</sup> *expresse mandare possit*,  
id, quod verisimile est ac juridicum MANTIC. de tac. &  
<sup>ambig.</sup> conu. L. 13. T. 15. n. 21, nee locum habet, ubi veri-  
tas esse non potest. L. 4. ff. de paci. L. 16. §. 1. ff. de pign.  
L. 30. C. de jur. dot. STRYCK. diss. de praesumt. feud. C. I.  
n. 13. scq. Hinc reg: Quacunque personae expresse mandare  
possunt, illae & praesumptive, & contra : quae probibentur expresse  
procuratorem constituere, probibebuntur etiam praesumptive. Man-  
datum praesumptum enim se fundat in consensu praesum-  
to, qui vero plane consentire non possunt, illorum quo-

que consensus circa mandatum praesumti non potest. Accedit, quod vim ac efficaciam suam mandatum praesumtu accipiat per cautionem de rato, ergo etiam pro tali persona judicium suscipiendum erit, quae actum gestum ratihabere potest. Quomodo enim efficere potest procurator sua cautione, principalem omnia ratihabitu rum esse, qui nihil ratihabere potest, id quod reuera absurdum foret; sic loquitur STRYCK. in diff. de possess. per caut. non aufer. C. I. S. 18. Conf. LAVTERB. diff. de caut. rat. a conjunct. praef. th. 24. STRVV. Ex. 7. th. 28. Facile igitur ex doctrina DD. ad Tit. ff. de procurat. hic repetita, erit concludere: pro furioso, infante, minorenni, & foemina, in locis vbi sine curatore agere iis non licet, neminem posse admitti ex mandato, vti nec vero, ita nec praesumto. Sic loquitur schola, sic communis fert DD. sententia. vid. LAVTERB. Compend. ff. Tit. de procur. ibique STRYCK. LVDOV. doct. ff. eod. Tit. §. 16. BEYER. pos. 104. 105. eod. tit. STRYCK. V. M. Tit. rem ratam bab. §. vlt. aliisque. At enim uero, quid obstat, quo minus regulas, quae a DD. tacitum a praesumto discernentibus, hujusue naturam sollicite inquirentibus, traduntur, & hic applicemus? Dicunt illi; Cujuscunque non est consensus expressus nec tacitus, illius tamen est consensus praesumtu. THOMAS. Jpd. div. L. 2. C. 7. §. 24 seq. LVDOV. Vf. pr. diff. Tit. de pact. ibique SCHLITT. not. c. Hinc non inepte colligi posse videtur, mandatum ab eo quoque praesumti posse qui neque expresse neque tacite alias consentire potest. Quid? quod haud incongruum foret, asserere, eandem rationem, eandemque aequitatem naturalem, quae in negotiorum gestione extrajudiciali gestorem admittit pro eo, qui neque expresse neque tacite consentire potest, e. g. furioso. L. 3. §. 5. ff. de neg. gest. etiam locum habere posse in judicialibus, ita vt locus sit conclusioni: quaecunque personae alias, ex dispositione LL., ob mandatum praesumtu admittuntur pro iis, qui expresse mandare possunt; illae etiam

non

non prohibentur, pro illis, qui neque expresse, neque tacite, bene tamen prae sumtive conseruire possunt. Nouum hoc quidem videtur, & a DD. doctrina in materia mandati prae sumti alienum. Sed si dicendum quod res est, licet hoc expresse, & quidem hoc loco, non tradunt DD. idem tamen tacite, & alieno saltem sub nomine, concedunt. Qui enim confert ea, quae ad Tit. ff. de eo, qui pro tutori, proue curatore, negotia gestit, tradi solent, facile videt, id, quod in genere illis, qui tanquam tutores & curatores negotia pupillorum &c gerunt, conceditur, multo minus his denegari posse, qui alias ex mandato prae sumto pro majorenibus &c. admitti dicuntur. Sic saepe in verbis dissentimus, in re tamen conuenimus.

## §. V.

Secundum requisitum est, ut quasi procurator easdem (II) Ut qua-  
qualitates habeat, quas verus, scilicet, ut in judicio stare, & se pro-  
curatio obligare possit, uno verbo: ut nec natura, nec lege, a  
munere procuratorio prohibeatur. Clare hinc patet regula:  
Quicunque verus potest esse procurator, ex vero mandato, ille etiam  
quasi procurator potest esse ex prae sumto mandato. & contra: quicun-  
que prohibetur esse verus, ille etiam prohibetur esse quasi procurator:  
Personae quae ad vtramque classem referenda sint, a DD.  
ad Tit. ff. de procur. recensentur, propterea in iis repetendis  
hoc loco non ero occupatus. Illa faltem ex prolixa fatis  
doctrina de promam, quae ad scopum meum proxime per-  
tinent. Constat, ex jure Romano foeminas ab omnibus offi-  
ciis civilibus vel publicis remotas esse: & ideo nec judices esse pos-  
se, nec magistratum gerere, nec populare, nec pro alio intervenire, procura-  
tor? Rationem denegati ipsis munera procuratorii affert Imp.  
CONSTANTIN. in L. 21. C. de procur. ne foeminae, perse-  
quendae litis obtentu in contumeliam matronalis pudoris irru-  
ant, & conventibus virorum, vel judicis interesse cogantur. In-  
ter alias tamen exceptiones, quibus regula haec infringi-  
tur, quasque ex legibus concessit BRUNN. ad L. 41. ff.

C 3

de

de procur. etiam haec est, quod interdum admittantur pro parentibus, in casu scilicet necessitatis & vbi moram res non admittit. Sic enim JCtus in L. cit. 4<sup>o</sup>. Foeminas, ait, pro parentibus agere interdum permittetur, causa cognita: si forte parentes morbus aut aetas impedit; nec quemquam, qui agat, habeant. Imo & in casu liberalis causae per L. 3. §. 2. ff. de lib. caus. Rationem ac sensum harum legum inquirere, meum jam non fert institutum. Hoc solum tangere lubet, annon, his casibus exceptis, foeminis etiam sine vero mandato, ex praesumto agere licebit? Evidem silent de hoc leges, adeoque, quia praesumptio nem juris hic adesse debere superius dixi, videri posset, quod negandum. Ast, qui cogitat, Leges de sexu masculino loquentes, foeminum etiam, positis terminis habilibus, includere L. 3. §. 1. 3 ff. de Neg. ges. ibique BRVNNEM. L. 1. ff. de V. 8. ibique DION. GODOFR. in not. facile mecum consentit, privilegium quod consanguineis masculis in Lege 35. pr. ff. de proc. tribuitur, etiam ad foeminas esse extendendum, ideoque & has sine mandato hoc casu admittendas. Dubium quidem oriri posset ex interponenda cautione de rato, ad quam, quia est species intercessionis, ob SCtum Vellejanum mulier admitti non possit. Ita enim VLPIANVS in L. 2. §. 5. ff. ad SCt. Vellej. sed eti, inquit. mulier defensor alicuius extiterit, procul dubio intercedit. Suscipit enim in se alienam obligationem, quippe cum ex hac re subeat condemnationem: proinde neque maritum, neque patrem, neque filium permittitur mulieri defendere. Quare etiam BEYERVS in pos. 107. Tit. ff. de procur. vbi de mandato praesumto agit, sine limitatione dicit: foeminae, licet inter gradus requisitos cognatae, non possunt defensorio nomine comparere. Sed non video, cur renuntiatio SCti Vellejani, quae in aliis casibus licita, hic quoque locum habere nequeat, vt ita, ea debito modo facta, foemina ad cautionem de rato tuto admitti possit. Licet non negare velim sententiam BRVNNEM. ad

L. 4<sup>o</sup>.

L. 41. ff. de proc. afferentis: foeminam pro parentibus agentem, defendere eisdem in reconventione debere, & propterea tamen contra SCtum Vellejanum non agere, quia SCtum de hoc casu pietatis non agat, & ideo non sit necessaria ejus renuntiatio; non satis esse fundatam, imo lege jamjam allegata satis refelli.

## S. VI.

Inter personas, quae procuratores esse non possunt, etiam numerantur milites L. 8. §. 2. ff. de procur. L. 5. C. de cond. ob cauf. dat. Nam publica utilitas exposcit, ne alienis litibus occupati abstrahantur a signis, & ne disciplina militaris sub umbra forensi difficiat. L. 31. C. de locat. Putat tamen DONELLVS L. 18. C. 11. lit. K. quod §. prae. de foeminis dictum, de militibus etiam esse intelligendum, ut scilicet in casu necessitatis, pro parentibus, liberis, & uxore procurare possint. Idem OBRECHT. diff. 10 tb 61. ex argumento L. 41. ff. de procur. de militibus affirmat. Sed satis graviter his obstat L. 7. C. de proc. vbi ita: *Militem nec pro pare, vel matre, vel etiam uxore, nec ex sacro rescripto, procuratorio nomine experiri oportet; cum neque defensionem alienam suscipere, vel redimere negotia, vel quasi suffragatorem accedere, utilitate publica permittatur.* Addenda quoque ratio quam affert PAVLVS in L. 19. §. 7. ff. de capt. Et post. quia disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum. Unicam saltem limitationem suppediat L. 3. §. 1. ff. de liberal. cauf. qua militibus etiam pro necessariis sibi personis de libertate litigare permittitur, ita ut in hac causa etiam pro persona conjuncta inuita, multo magis ex mandato praesunto admittantur. De minore, quam prolixa inter DD. sit disputatio, an verus procurator esse possit, brevitatis causa non tango. Illud saltem memoro. Si vera est regula: quoties restitutio in integrum metuenda, toties minor procurator iuste recusatur ab aduersario STRYCK. V. M. Tit. de proc. §. 22. BRVNN. ad L. 51. ff. de proc. certe sequitur, illum quasi

An minor?

quasi procuratorem esse prorsus prohiberi, ob cautionem  
scilicet de rato praestandam, quae rem ejus familiarem  
concernit, ideoque semper restitutioni locum dat. BRVN-  
NEM. loc. cit. n. 2.

## §. VII.

(III) Ut negotium suscepturnus est quasi procurator, non sit talis, qui speciale manda-  
mandatum requirat. arg. L. 7. C. de reb. cred. STRVV. Ex. 7. ib.  
specialie 28. BRVNN. ad L. 35. ff. de proc. n. 4. Cum enim in his  
non requi- nec verum mandatum generale sufficiat L. 25. §. 1 ff. de  
rat. minor. multo minus sufficit praesumtum. Hinc notanda  
regula. Quacunque verus procurator gerere potest ex mandato  
vero generali, ea etiam quasi procurator ex mandato praesumto,  
& contra: in quibus actibus non sufficit mandatum verum gene-  
rale in vero procuratore; in his nec mandatum praesumtum in  
quasi procuratore. Neque cautione de rato, quam praestant  
quasi procuratores, hic defectus suppleri potest; licet ita  
videri possit per L. 26. pr. ff. de minor. vbi ita: Quid si de  
speciali mandatu dubitetur cum restitu postruletur: interposita  
stipulatione, ratam rem dominum habiturum rei potest mederi, ex  
qua etiam PETR. PECKIUS de jur. sifflend. C 3 n 3, in fin-  
concludit, ea, quae requirunt speciale mandatum, ad-  
mitti tamen, si offeratur cautio de rato. Nam, ut non  
dicam, L. cit., ne in illis quidem, qui ex vero mandato  
generaliter agunt, generaliter locum habere, sed cum gra-  
no salis tantum accipiendam esse, si praesumatur non  
difficulter dominum id ratum habiturum, BRVNN. ad. dict.  
L. n. 2. Certe, multo minus de illis qui ex mandato  
praesumto admittuntur, intelligi potest, quia alias cau-  
tioni de rato duplex adscribendus hic foret effectus, ut  
scilicet defectum mandati & generalis & specialis sup-  
pleret, id quod ego non ausim affirmare. Puto potius &  
hic applicandam esse vulgatam DD. regulam: negotia spe-  
cialie mandatum requirentia, quia talia sunt, ut ingens praecaudi-  
cium in se contineant, hinc cautio rati in illis insufficiens videtur.

L. 25.

L. 25. §. 1. L. 27. pr. ff. de Minor. BRVNN. ad L. 35. ff. de procur. n. 4. ad L. 1. C. eod. n. 6. FRANTZK. ad tit. de procur. n. 19. ZANGER. de Except. P. 2. C. 8. n. 38. BARBOSA ad L. 1. C. de procur. aliquo ab his allegat. Jam quae-  
nam causae illae sint, hic referre non licet, abunde hoc  
praestitum ab aliis DD., in primis MOZZIO, qui in Tr. de  
contractibus. Tit. de mandato, rubr. de divis. mand. n. 11. seqq.  
nonaginta septem magno studio collegit. Conf. III. BÖH-  
MER. J. Eccl. T. 1. Tit. de procur. §. 2. seqq. & GRIBNER.  
diff. de Mandat. special. vbi vulgatam DD. de eo doctrinam  
sub examen erudite revocat. Nonnulla saltem exempla  
ex LL. & DD. de iis, qui ex mandato praesumto agunt,  
huc spectantia afferam. Sic in causa cohaeredum com-  
muni vnu ex illis, sine mandato reliquorum speciali,  
ad recognitionem documentorum non est admittendus,  
quantumuis de rato caverre velit. CARPZ. Dec. 206. MAR-  
TIN. ad Ord. Iud. Sax. tit. 25. §. 2. n. 10. seqq. Persona  
conjuncta admittitur quidem ad agendum sine mandato,  
non tamen ei solvi potest sine mandato creditoris; sic  
colligit ex L. 3. ff. sol. matrim. GODOFR. in not. conf.  
BRVNN. ad L. 35. ff. de procur. n. 4. & ad L. 1. C. eod. n. 6.  
Consors pro consorte agere quidem, sed sine mandato  
nec jurare, nec mandatum procuratori ad jurandum in  
illius animam dare potest. MEV. P. 5. D. 390. Con-  
junctus ad arrestum pro coniuncto petendum sine discre-  
tione admitti non potest, sed certa saltem sub restrictio-  
ne, quam tradit MEV. de Arrest. C. 7. n. 33. seqq. Maritus  
restitutionem in integrum nomine vxoris petere non  
potest, nisi hoc nominativi ei ab vxore fuerit concessum.  
L. 25. §. 1. ff. de minor. STRYCK. Diff. de Jur. marit. in bon.  
ex. C. 3. §. 13. Frater pro forore cum cautione rati admis-  
sus, juramentum tamen ejus nomine referre haud potest,  
vide sententiam Scabin. Lips. apud BEYER. pos. 115, lit. o.  
Tit. ff. de procur.

Quid  
exemplis  
illustratur,

## §. VIII.

IV) Ut veritas aliunde non constet. Praesumtio enim cedit veritati, & ubi cessat non probatur voluntas praesumpta principalis, ibi etiam quasi mandatur.

tum procuratoris. Hinc VLPIANVS L 40. §. vlt. ff. de

proc. In his autem, ait, personis, in quibus mandatum non exigitur, dicendum est, si forte evidens sit contra voluntatem eos experiri eorum, pro quibus interuenientur, debere eos repelli, ergo non exigimus, ut habeant voluntatem vel mandatum: sed ne contraria voluntas probetur, quoniam de rato offerant cautionem.

Regula igitur est: Quoties de contraria voluntate principalis constat, toties mandato praesumptu non est locus. Casus, quibus hoc fieri possit, apud DD. reperio potissimum sequentes. (1) si principalis expresse contradicat BEYER. pos. vlt. Tit. ff. de proc. SCHOEPFF. Syn. eod. Tit. n. 33.

(2) si habeat alium procuratorem expresse constitutum STRYCK. V. M. Tit. rem. rat. hab. §. vlt. STRVY. Ex. 7. tb. 28. LVDOV. Dostr. ff. Tit. de proc. §. 16. (3) si conjunctae personae, mandatum expressum in una causa dederit, tum enim eandem in reliquis sine mandato agere censetur prohibuisse. L. 21. C. in fin. de procur. ibique BRVNN. n. 13 seqq. JD. ad L. 40. ff. eod. n. 7. KLEIN. in not. ad SCHOEPFF. eod tit. n. 33. Conf. c. seq. §. 5. in f.

(4) Si ipse in ciuitate praefens sit, vt limitat JASON. ad L. 1. C. de proc. teste BRVNN. ad d l. n. 6. quis vero dicatur praefens vid. L. 5. 6. 7. ff. de proc. L. 173. in f. de V. S. Denique (5) si praesumtio fortior in contrarium adsit, quam STRYCK. ad Laut. Tit. de proc. eliciendam esse putat, ex qualitate causae expediendae, si talis sit, vt praesumi non possit illam generaliter esse demandatam, uno verbo, si negotium expediendum sit, quod speciale mandatum requirat. IDEM in Diff. de poss. per caut. non auf. C. I. §. 18. aliam exinde petit, si minor conjunctus vellet suscipere procuratorio nomine causam conjunctae personae, cum non praesumi possit, conjunctum principalem

Referuntur  
casus.

lem voluisse causam suam committere minori. Sed de vtroque casu jam alia occasione § 6. & prae. actum est, quare hic nihil addo, sed ad caput tertium tractandum progredior.

### CAP. III.

#### DE PERSONIS, IN QVIBVS MANDATVM PRAESVM- TVM LOCVM HABET.

##### S. I.

**P**ro actore regulariter nemo sine mandato admittitur. A regula : Excipiuntur tamen quedam personae , quibus ex pro actore LL. fine mandatu agere licet, quique a DD. ex mandato nemo sine praesumto admitti dicuntur. De his igitur hoc ca. mandato pite agendum erit. Sunt autem secundum fundamen. admittitur, excipiuntur. *cap. prae. exposita*, (I) personae conjunctae , vt puta ( $\alpha$ ) consanguinei, ( $\beta$ ) affines, ( $\gamma$ ) Maritus pro vxore, vxor pro marito, ( $\delta$ ) confortes litis & qui eorum nomine comprehenduntur, ( $\epsilon$ ) amici secundum nonnullorum o- pinionem, ( $\zeta$ ) Liberti pro patrono. (II) Instrumenta ad causam pertinentia producentes ; de singulis jam sigil- latim.

##### S. II.

Primum inter personas conjunctas locum habent CONSANGUINEI. Constat, duas eorum esse lineas, al- teram rectam, alteram collateralem. Quales quae di- cuntur, ex materia de computatione graduum suppono, hoc solum in genere notans; in tota hac materia com- putationem graduum civilem adhiberi, quoniam ver- famur in materia juris civilis Z EGL. ad ord. Process. Sax. tit. 7. p. 52. Primo igitur consanguinei in linea recta in censum veniunt qui ex mandato praesumto admittun- tur. Fundamentum hujus privilegii est in L. 35. pr. ff. de proc. vbi ita: sed & haec personae procuratorum debentur D 2 defen-

(I) Consan-

guinei,

In linea  
recta.

defendere, quibus sine mandatu agere licet: utputa, liberi, licet sint in potestate: item parentes, & fratres, & adfines & liberti. Idem dicit VLPIANUS in L. 3. §. 3. ff. jud. solvi: sed eti<sup>m</sup> forte ex liberis, vel parentibus aliquis, interveniat, vel vir uxoris nomine, a quibus mandatum non exigitur Judge L. 12. C. de proc. vbi mentio sit filii, quod exigendi ab eo mandati nulla sit necessitas, quoniam filius, etiam si ultro actionem patris nomine dirigat, mandatum probare non cogitur. Evidenter Leges hae vnicē de parentibus & liberis loquuntur, adeoque, quousque consanguinei in linea recta sine mandato admitti debeant, non specificē determinant; vt dubium inde oriri possit, an mandatum praesumtum ultra parentes & liberos locum inveniat. Quoniam tamen ex L. 51, & L. 220. ff. de V. S. aperte constat, sub nomine parentum & liberorum in jure contineri omnes ascendentēs & descendētes etiam vtriusque sextus. Jung. L. 4. §. 2. ff. de in ius voc. L. 10. §. 5. 9. eod. L. 48. ff. solut. matrim. L. 1. §. 1. de leg. praeſt. L. 56. in fin. de V. S. Hinc rectissime concludunt DD. consanguineos in linea recta pro se invicem sine gradus discrimine ex mandato praesumto admittendos esse in infinitum. BERGER. Oecon. Jur. L. 4. T. 9. §. 2. not. 7. CARPZ. D. 205. n. 14. BEYER. pos. 91. l. saepe cit. altique. Discrepat a jure communi Jus Lubecense, quod nec patrem sine mandato admittit, si filius siue majorenſis, & a familia paterna separatus. Ita enim in L. 4. T. 2. Art. vii. disponit: Ein mündiger Sohn, wenn er seine Sachen wider andere Gerichtlichen angefangen, die muß er selbst verfolgen, und der Vater mag sich darum nicht mengen, es wäre denn, daß er von dem Sohn gevoßmächtiget, und daß der Sohn von ihm nicht geföndert. Rationem affert MEVIUS ad. d. Art. quod filius separatus siue diſſors habeatur pro extra-neo, putatque, quoad liberos consortes siue non separatos obtinere dispositionem juris communis.

In infinitum.

S. III, De

De consanguineis in linea collaterali, quousque hi  
pro se invicem ex mandato praefumto admitti debeant,  
variant DD. sententiae. Quidam in omnibus collaterali-  
bus illud obtinere putant ad decimum vsque gradum  
SICHARD ad L. 12. C. de procur. & alii, quos citat BER-  
LICH. P. 1. Concl. 14. n. 38. in fin. Alii ex L. 13. vers. egredi-  
entem. ff. de advoc. div. judicior. argumentum petentes, ad  
quartum saltem consanguinitatis gradum hoc extendi vo-  
lunt. Communior tamen ac rectior omnino est sententia,  
mandatum praesumtum saltem in consanguineis collate-  
ralibus ad secundum vsque gradum locum habere. BER-  
GER. Oecon. Jur. l. c. LAUTERB. compend. Tit. de proc. ibi-  
que STRYCK. BEYER. l. c. pos. 90. STRYCK. V. M. Tit.  
de proc. §. 45. Mentio enim in L. 35. pr. ff. de proc. saltem  
fit fratribus, vltra quos jus hoc singulare mandati praefu-  
mti temere non extendendum. Accedit, quod quo re-  
motiores sint personae, eo magis vinculum sanguinis la-  
befactetur, & cum eo praecipuum mandati praesumti  
quoad consanguineos fundamentum corruat. STRYCK.  
l. c. IDEM quidem in not. ad LAUTERB. l. all. fratribus  
liberos excludendos non esse putat, propter respectum  
parentelae; quae tamen sententia, si verum est, praesum-  
tionem hanc mandati vltra casus in LL. expressos non  
esse admittendam, vti C. 1. §. 10. praesupposui, vix erit ad-  
mittenda. In Saxonia certus determinatus est gradus,  
ita vt hoc jure gaudeant cognati ad quartum vsque  
consanguinitatis gradum, exclusive, vel tertium inclusi-  
ve. CARPZ. P. 1. C. 1. def. 29. IDEM Dec. 205. n. 15. BER-  
LICH. P. 1. concl. 14. n. 38. Videtur etiam hoc privilegi-  
um consanguineorum quodammodo respexisse Amplius  
Senatus civitatis nostrae ROSTOCHIENSIS in ord.  
Judic. de anno 1586. vbi disposuit, extra procuratores or-  
dinarios neminem admitti debere ad res in judicio tra-  
stantas, nisi quis pro consanguineo agat & cautionem

In linea  
collaterali  
vsque ad  
gradum  
secundum.

de rato praestare velit. Sic enim ibi P. I. Tit. 7. §. 6. cautum legitur: Dagegen aber soll sonst niemanden bey Peen 2. Markt Lüb, so oft er sich dessen unterstehen wird, vor unsren Obergericht zu procuriren oder zu reden zugelassen werden. Inter limitationes §. 10. adjicitur haec: Es wolle te denn jemand in seinen nahend gespanten Sachen praedita cautione de rato reden. Haec tenus de cognatione carnali. Quid dicendum sit de spirituali, & annou ex ea patrinus sine mandato in judicio admittendus sit; hoc loco indagare occasio daretur, nisi aliunde constaret, quod pro eo, quem levavit ex sacro fonte, dum tenerioris adhuc est aetatis, instar prototoris agat patrinus, conf. Cap. pracc. S. 4. inf. quomodo autem sit in actu baptismi considerandus, dum respondet pro baptizando, in quaestione non adeo veniet; si tamen venerit, responsionem dabunt sana principia; Hac vice hoc cathedrae reservamus.

S. IV.

(II) Affines.

Secundo inter eos, qui ex mandato praesumto admittuntur, numerantur AFFINES ob. L. 35. pr. ff. de proc. vbi his, quibus sine mandatu agere licet, etiam accessentur affines. Sed ob generalitatem legis mirifice iterum DD. dissentunt, quounque hoc affinium privile-

Non solum  
in linea re-  
cta.

gium se extendat. Sunt qui faltem ad lineam rectam five ascendentes & descendentes illud restringunt. HIP-  
POL. de MARSIL. sing. 123. NICOL. in Proc. P. I. c. 7. n.  
44. ENGELBR. ad ff. b. t. ib. 16. Cui opinioni etiam ad-  
stipulatur STRYCK. in V. M. Tit. de proc. §. 46. hac potissimum ductus ratione, quia jus nostrum generaliter nullum effectum tribuat affinitati, nisi quatenus respectus parentelae adsit, quare etiam, eo cessante, hunc juris effe-  
ctum, mandati scilicet praesumti, illi denegandum esse censet. Alii contra affines etiam collaterales, & quidem ad quartum usque gradum, admittunt, SCHVLTZ. de arb.  
conf. & affin. c. 12. n. 6. Medium tenent, qui d. L. 35. pr.  
etiam de affinibus collateralibus, & quidem eodem, quo confan-

Sed etiam  
collaterali.

consanguinei collaterales admittuntur gradu, scilicet secundo, interpretantur. BERGER. econ. Jur. l.c. LAUTERB. compend. l. c. & in *Dissert. de caut. rat. a conj. praef. ib.* 16. MENCKEN. compend. theor. & prax. comp. grad. p. m. 29. BEYER. l. c. pos. 94. Et horum quidem opinio mihi perplacet, sicut enim affines in linea recta sibi invicem sunt parentum & liberorum loco CUJAC. L. 9. obs. 18. ita in linea collateralera sibi sunt instar fratum IDEM L. 6. obs. 17. Jam cum fratribus, aequae ac parentibus & liberis, in L. 35 pr. sine mandatu agere permittatur, non video, cur non affines collaterales, similiter ac ascendentes & descendentes, pro se invicem ex mandato praesumto admitti possint. Jure Saxonico affines collaterales prorsus exclusi sunt, imo nec omnes in linea recta admittuntur, sed saltem sacer & gener pro se invicem CARPZ. in proc. T. 5. art. 6. n. 43. Ad vitricum tamen & privignum hoc extensum esse tradit BERGER. in El. Disc. forens. p. 222. Idem factum est in O. P. S. El. decl. & emend. ad T. 7. §. Wenn die Vollmacht 3. Superest quaestio: An durante saltem affinitate, an vero etiam, ea per mortem conjugis dissoluta, mandatum in affinibus praesumatur? Affirmat hoc CARPZ. in Proc. Tit. 5. art. 6. n. 47. addens rationem, quod, mortua licet conjugae, durret tamen nihilominus affinitio. Distinguit ZIEGLER ad ord. proc. Sax. p. 53. an bene adhuc sibi invicem cupiant affines, an non; priori casu sine mandato, posteriori non nisi cum vero mandato eos admitti posse. Negant plerique absolute, & jus agendi ex mandato praesumto, una cum affinitate, expirare putant. STRYCK. V. M. I. c. §. vlt. & in not. ad LAUTERB. b. t. & Tit. de Spons. ad verb. affinitas solvitur. BERGER Resol. Lauterb. p. 95. BERLICH. P. I. Concl. 14 n 49. aliquie. Et quidem recte. Praeter argumentum enim, quod ex L. 3. §. 1 ff. de postul. ubi ita. *Adfinitates non eas accipere debemus, quae quandam fuerunt: sed praesentes, latis apte desumunt, pro iis militat regula juris*

Durante  
saltem  
affinitate,

juris vulgata; Dissoluta affinitate expirant effectus Civiles e. g. testimonii dictio, postulatio, veniae impetratio ad vocandum in jus, aliquique, quos vide apud BRUNN. ad dict. L. 3. n. 2. seqq. Conf. ID. dec. 89. C. 5. n. 6. MEV. ad Jus. Lub. L. 1. T. 1. Art. 7. n. 21. seqq. inter quos utique etiam numerandum jus hoc agendi ex mandato praesumto. Adeo & hoc, quod fundamenta superius allegata, cur mandatum in personis exceptis praesumatur, plerumque affinitate dissoluta in affinis cesserent.

S. V.

(III) Mari-  
tus pro  
vxore.

Ad bona  
vxoris re-  
ceptitia ad-  
ministran-  
da.

Pergo ad MARITVM. Hic quia persona est conjuncta L. vlt. §. vlt. C. de furt. & diuinae humanaeque domus socius L. 4. C. de crim. exp. haered. L. 1. ff. de rit. nupt. ad res vxoris administrandas, ex mandato praesumto in judiciis admittitur. Sic enim Imperator CONSTANTIN. in L. 21. C. de proc. Maritus, ait, citra mandatum in rebus uxoris, cum solenni fatisdatione, & alia obseruatione, intercedendi liberam habeat facultatem. Add. L. 3. §. 3. ff. jud. solu. Loquitur quidem haec Lex generaliter, & simpliciter de bonis uxoris, nulla certae eorum speciei facta mentione; cum tamen alias constet, bona vxorum ex Jure ciuili esse triplicia, dotalia TheGelder, paraphernalia NebenGelder, receptitia SpillsGelder, quorum naturam inter alios satis accurate explicavit STRYCK. in diff. de Jure mariti in bon. vxor. C. I. LVDOV. Vf. pr. Dif. Tit. de jur. dot. Dif. 4. MEV. l. c. L. 2. T. 2. Art. 12. n. 27. seqq. Restringunt tamen eam DD. ad sola bona vxoris receptitia. Nec aliter res se habere potest. Quod enim ad dotalia attinet, quoniam dominus est maritus pr. J. quib. al. lic. vel non. L. 7. §. 3. L. 75. ff. de jur. dot. L. 9. C. de Rei vind. ideo & actiones super dote in dominio suo habet, ita ut sine ullo mandato, & cautione praeflita, de rebus dotalibus, tanquam de re sua, proprio nomine litigare possit. Circa paraphernalia administranda, quoniam itidem autoritatem suam immediate ex legis dispositione

spositione habet maritus, hinc neque mandato neque cautione de rato indiget per L. vlt. C. de pac*t*. conuen*t*. modo probet, actionem illam quam mouet reuera esse inter parapherna; si enim de hoc adhuc dubitatur, tunc, si pac*t*is dotalibus illud probari nequeat, admittetur quidem, sed nonnisi sub cautione de rato STRYCK. cit. diff. C. 3. §. 9. Male igitur GIPHAN. ad. L. 21. C. de proc. & HILLIG. in Donat. L. 18. C. 12. lit. L. fundamen*tum* hu*j*us potestatis maritalis circa paraphernalia in eo quaerunt, quod producat instrumenta ad causam pertinentia. Hoc enim saltem fit per accidens, quomodo enim maritus actionem ac intentionem suam in judicio probare posset, nisi instrumenta, ex quibus litem mouere velit, exhiberet? Verum potius ac genuinum fundamentum consistit in L. vlt. alleg., a mandato & cautione maritum in paraphernalium rerum administratione liberante. Restantigitur bona receptitia, de quibus solis intelligenda L. 21. C. cit., vt scilicet eorum intuitu marito sine mandatu agere licet, non tamen sine solenni satisfactio*n*e h. e. cautione de rato. vid. pluribus STRYCK. cit. diff. C. 3. §. 9. seq. C. 4. §. 2. & Diff. de caut. abund. in proc. C. 1. n. 64. ID. V. M. I. c. §. 44. BRVNN. ad L. 21. C. de proc. GAIL. L. 1. Obs. 133. Praxi*n* Saxoniam tradit CARPZ. P. 1. Conf. 1. def. 31. & seq. & in proc. T. 5. art. 6. n. 7.1. jung. Ord. Proc. recogn. T. 8. §. 1. Limitationem suspeditant verba finalia L. 21. cit: *Sin autem mandatum suscep*er*it, licet maritus sit, id solum exequi debet, quod procuratio emissa praescrip*er*it.* Hinc concludunt DD., si maritus mandatum ex abundanti suscep*er*it, alia negotia eundem, vt persona conjuncta, gerere sine mandato non posse; quia habens mandatum speciale, in caeteris videtur prohibitus. BRVNN. d. l. n. 13. seqq. Sed, quantum mihi quidem videtur, lex saltem loquitur de illa causa, in qua mandatum suscep*er*it, quod in hac mandati fines egredi non possit maritus, ita tamen, vt nec

E

Quod limi-tatur.

ea,

ea, quae necessario cohaerent mandato, etiam ultra illud  
in eadem causa expedire L. 56. L. 62. ff. de. procur. nec  
alias causas absque mandato gerere prohibeatur.

## § VI.

*Alienam suscipere defensionem, virile est officium, & ultra sexum muliebrem esse constat per L. 18. C. de. procur. Hinc ne VXORIBVS quidem maritum defendere permittitur, quia est species intercessionis L. 2. §. vlt. ff. ad SCt. Vellej. Quod de causa favorabili defensionis verum est, multo magis dicendum erit de actione. Interdicta igitur regulariter foeminis est in judicio alienae litis procuratio L. 2. ff. de R. J. extenditur haec prohibitio etiam ad causas maritorum, quas vxoribus agere non licet per L. 4. C. de. proc. cum aliena negotia per mulieres non aliter agi possint, nisi in rem suam, & proprium lucrum mandatae sint eis actiones. Quare etiam marito, licet vxor ejus interfuerit iudicio, & latae contra ipsum sententiae acquieuerit, nihilominus, absentiae exceptionem alleganti, causae defensionem restituendam esse, disponunt Imp. SEV. & ANTON. in l. c. Haec de regula. Duae tamen sunt limitaciones, quibus vxoribus pro maritis etiam sine mandato agere licet. (1) Prima est, si pro libertate mariti agant, Sic enim VLPIANVS in L. 3 §. 2. ff. de liber. cauf. cum vero talis, inquit, nemo aliis est, qui pro eo litiget, tunc necessarium est dari facultatem etiam matri, vel filiatus, vel sororibus ejus, caeterisque mulieribus, quae de cognatione sunt, vel etiam vxori, adire praetorem & hoc judicare, ut causa cognita & inuita ei succurratur. Et ideo in Camera vxorem, pro liberando marito ex carcere, quia est species seruitutis L. 2. ff. de lib. hom. exhib. tanquam conjunctam personam admitti, eandemque ad hoc mandata cum clausula justificatoria, vel fine clausula, pro facti qualitate, pro relaxando marito petere & obtinere posse, testatur GAI. L. 1. obs. 133. n. 8. seqq. Conf. GILHAVS. arb. jud. crim. p. 232.*

In causa  
liberali.

p. 232. n. 28. (II) Secunda est, si periculum in mora Et si peri-  
adfit. Propter id enim, quod in mora est periculum, re- culum in  
ceditur a communibus juris regulis L. 5. §. 12. ff. de nov. mora,  
oper. sunt ibique GODOFR. multoque aequius videtur,  
vxorem admittere marito absente etiam sine mandato,  
quam illi jura omnia praecidere, eumque condemnare  
BRVNN. ad L. 54. ff. de proc. n. 1. Casus videri possunt  
apud MEVIVM P. 4. D. 329. & 390., vbi vxor, pro ma-  
rito absente & impedito, tum ad excusationem absentiae,  
tum ad interponendam, de non labendis fatalibus, pro-  
testationem, & vltiorem causae prosecutionem, sine  
mandato admissa est. Add. SICHARD. ad L. 4. C. de pro-  
cur. Conf. etiam, quae supra scripsi. Cap. praece. §. 5.

## §. VII.

Inter personas, quae ex mandato praesumto sub cau- (V) Con-  
tione rati admittuntur, quinto referuntur CONSORTES fortes litis.  
ejusdem LITIS, quales dicuntur, ad quos commune litis  
commodum & periculum pertinet, quia habent commu-  
nem causam, idemque jus agendi vel se defendendi,  
BERLICH. P. I. Concl. 14. n. 45. Distinguendum tamen  
est: An res sit *individua*, & vnum solus omnium nomine,  
etiam sine cautione, potest agere & causam defendere.  
L. 4. ff. si ex nox. caus. ag. L. 4. §. 3. ff. si serv. vind. An vero  
*individua*, & tunc, vel lis nondum est contestata, & non  
potest vnum agere nisi pro sua tantum parte per L. 1. C.  
de conf. ejurd. lit. licet defendere vnum posset in solidum  
caeteros, sicut quilibet extraneus. L. 39. ff. de neg. ges. L. 33.  
§. 2. ff. de proc. aut jam est ab omnibus consortibus conte-  
stata, & vnum admittitur, ad causam coeterorum agen-  
dam, etiam sine mandato, praestita cautione de rato. Ita  
rem tradunt ex BARTOLO & CASTRENSI ad L. 2. C. de  
conf. ej. lit. BRVNNEM. ad d. L. & STRYCK. V. M. Tit.  
rem, rat. bab. §. 2. Fundamentum ultimi casus, ad scopum  
nostrum pertinentis, est in L. 2. C. de Conf. ej. lit. Vbi VA-  
LENTI.

LENTINIANVS & VALENS ita rescripserunt: *Commune negotium post litem legitime ordinatam, etiam quibusdam absentibus, in solidum agi sine mandato potest, si praesentes rem ratam dominum habiturum cauere parati sint, vel si quid ab his petitur, judicatum solui satisfactio firmauerint.* Sed aliter sentit CVJAC. in Paratil. ad h. Tit. Cod. putans, etiam ante litem, ab omnibus consortibus contestata, vnum ex illis pro aliis, sine mandato agere posse, quoniam verba L. cit. post litem legitime ordinatam, non sint intelligenda de litis contestatione, sed praeparatione, ut itaque sententia cit. L. haec sit, consortem cauere de rato, post litis ordinationem, ante tamen litis contestationem; quanquam non neget, etiam post litis contestationem cauere aliquando vnum ex consortibus, si scilicet litem ab initio omnes contestati sint, postea vero alii abesse caeperint, & vnu communis nomine rem velit persequi. Consentit cum eo BEYER. I. saep. cit. pos. 99. seq. VVLTEJ. Jurispr. L. 2. C. 30. n. 29. PEREZ in Cod. ad d. Tit. Videtur quidem haec sententia BRVNNEMANNO I. cit. n. 6 durior, meo tamen judicio rectior, & consuetis, partes antiqui processus romani explicantibus, formulis, conuenientior. Qui enim veterem, lites in foro Romano pertractandi, ordinem, quem prolix tractarunt SIGONIVS Libris III. de judicis & FRANC. POLLETVS in hisfor. Fori. Rom. in nucleo vero exhibuit JOH. SAM. STRYCK. Diff. de proceſſ. Jur. Rom. antiqui, scrutatur, facile deprehendit aliud fuisse litem ordinare, aliud litem contestari. Illud siebat per excussionem omnium praeſimiriarum, quae ipsam litis tractationem antecedere solebant, quo pertinent, in ius vocatio, antestatio, actionis coram praetore editio, & postulatio, vadimonii conceptio, citatio vtriusque partis per praeconem, repetita coram praetore actionis intentione, postulatio judicis pedanei, testium a praetore constitutio, ac denique satisdatio. Haec omnia in jure fieri dicebantur, iisque peractis, ac per comparitionem parti- um

um coram judice pedaneo confirmatis, lis ordinata vocatur. Hanc excipiebat litis contestatio, quae in judicio coram judice pedaneo fiebat, tunc, cum *jude<sup>x</sup>s per narratio-*  
*nem negotii cau<sup>m</sup> audire cooperit*, vt loquuntur Imp. in L.  
*vn. C. de Lit. cont.* Facile itaque ex dictis apparet, ordinatio demum judicio, factam esse litis contestationem, ad-  
 eoque haec duo non esse vnum idemque, sed praefe-  
 rendam omnino CVJACII opinionem, verba L. all.  
*post Item legitime ordinatam*, de litis præparatione in-  
 terpretantis, conf. L. 8. pr. §. 1. ff. de inoff. test. L. 20.  
*ff. de prob.* collata cum L. 7. §. vlt. ff. de liber. caus.  
 Redit igitur omnis res ad illam quaestione: annon v-  
 nus ex confortibus, etiam ante item ab omnibus conte-  
 statam, sine mandato, ad causam communis nomine a-  
 gendam, admitti possit? Quod CVJACII sententiam amplexus utique affirmandum esse puto. Consentit jus  
 Saxonicum, vid. MARTIN. ad O. P. S. §. vit. lassen T. 5.  
*n. 107.* BERGER, oeon. Jur. L. 4. T. 9. §. 2. not. 7.

## §. VIII.

Inter consortes litis, vt alios taceant, numerantur et- Sub illis  
 iam COHAEREDES. Hinc cohaeredem pro cohaerede, compre-  
 in causa haereditatis communi, sine mandato judicium henduntur  
 suscipere & agere posse, nullum est dubium MEV. P.  
*4 D. 361.* SOCII quoque, quorum vinculo post frater- cohaeredes  
 nam, & sanguinis conjunctionem, vix quicquam majus Socii,  
 esse potest, quique ideo praeter litis consortium, etiam  
 jura quaedam fraternalis, inter se habent L. 63. ff. pro  
 Soc. ex mandato praesumto valide agunt in iis, quae ad  
 contractam societatem, ejusque commoda vel damna,  
 pertinent, ita vt alter ex facto alterius agere, & pro so-  
 cio conveniri possit. GODOFR. in not. ad L. 68. ff. pro Soc.  
 MEVIUS de Arreb. C. 7. n. 36 seq. Dubium est inter DD.  
 an MEMBRA VNIVERSITATIS pro litis confortibus, ideoque  
 in causa vniversitatem concernente, habenda, idemque Membra  
 vniuersita-  
 tis.

E 3

ad

ad eam agendam sine mandato sub cautione rati admittenda sint. Sine distinctione illud affirmant CARPZOV. Dec 205. BRVNIN. ad rubr. Tit. ff. quod cuiuscunq. univers. nom. Negant LAVTERB. Diff. de caut. rat. a conj. praef. §. 21. SCHILLI. in prax. Iur. Rom. Ex. 10. §. 53, seqq. SCHWENDEND. ad Fib. proc. p. 242. seqq. ex hac ratione, quod Syndici tales, licet de membris vniuersitatis sint, non possint dici litis consortes, quippe qui magis ut singuli considerentur & agant; cum contra, qui nomine vniuersitatis agat, non singulorum sed omnium collective sumtorum nomine agere censendus sit. Verum, cum haec ratio saltem admitti possit, si singulorum

In re singulorum interesse concernente, civium particulare & proprium interesse non simul concurrat, quia tum ex ratione praedicta expeditum est, sub cautione rati eos non esse admittendos; Hinc optimo rem componunt STRYCK. V. M. Tit. quod. cui. univers. nom. §. 7. LVDOV. Doctr. ff. Tit. de proc. §. 14. aliisque, distinguentes, an causa singulorum simul concernat interesse vel damnum, e. g. si de jure pascendi, lignandi, piscandi, decimarum &c. controvèrtatur; an vero integrum vniuersitatem qua talem, sive publicum interesse civitatis tantum respiciat, v. g. si de jurisdictione, jure patronatus civitate competente, quaestio fit. Priori casu, quia cives revera litis consortes in hac causa sunt, etiam privilegio aliorum litis consortum gaudere, & sine mandato a judice ad item sub cautione suscipiendam admitti debent. Secus casu posteriori, quoniam in hoc membra vniuersitatis qualitatem litis consortium, & cum illa etiam privilegium mandati praesumti, amittunt; quod enim vniuersitati debetur, singulis non debetur per L. 7. §. 1. ff. quod cui. univ. nom. Aliam regulam suppeditat BEYER. l. c. pos. 101. Singuli ex vniuersitate, quoties testes esse non possunt, ratione possunt esse defensores, & vice versa: priori enim casu quasi litis consortes sunt, posteriori rei alienae se immiscent. Sed haec regula paullo videtur obscurior, quoniam non satis inter-

DD.

DD. constat, quoque membra vniuersitatis, in causa illam concerente, testes esse possint, nec ne. Illud certum est, Syndicos ordinarios. quos legitime ad Syndicatum electos esse constat, licet nullum mandatum producant, in judicio admittendos esse sub cautione rati, quoniam pro se habent praesumtum civitatis mandatum, et iam in causa praesenti; Syndicus enim ordinarius semel constitutus, ad omnes futuras etiam lites censetur datus, STRYCK. d. l. § 13. cod. BERLICH. P. 1. Concl. 14.

n. 99.

### §. IX.

Venio sexto ad AMICOS, qui secundum nonnullorum, in primis veterum, opinionem inter personas, mandato praesumto instructas, referendi sunt, ita sentiunt JASON ad L. exigendi C. de procur. n. 4. CASTRENS. Vti a non-in L. 35 ff. cod. tit. BARTOL. in L. 39. §. 1. ff. cod. ALCIAT. nullis ex ad L. 223. §. 1. ff. de V. S. Fundamentum hujus sententiae in eo potissimum consistit, quod non a philosophis solum, sed etiam in Jure nostro amicitia consanguinitatem comparetur, imo praefreratur, vt itaque quod constitutum est inter coniunctos ratione affectionis sanguinis, idem etiam obtinere debeat inter amicos ratione familiaritatis, vti regulam illam tradunt ABB. post Gloss. in c. requaesiti n. 13. cum seqq. aliisque allegati ab. ILL. a KLEIN in Diff. de praef. donat. C. 2. n. 149. Sic enim CICERO L. 1. de officiis: *Sanguinis, inquit, coniunctio & benevolentia devincit charitate homines: Magnum enim est eadem habere monumenta majorum, iisdem vti sacris, sepulcra habere communia: Sed omnium societatum nulla est praestantior, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate juncti.* Eandem arctissimam ex amicitia ortam coniunctionem, insigni ratione subjecta, expressit VALER. MAX. L. 4. C. 7. contemplemur nunc amicitiae vinculum potens & praevalidum, neque illa ex parte sanguinis viribus inferius: *Hoc etiam certius, explo-*

exploratus, quod illud nascendi fortuitum opus, hoc vniuersujus  
 que solido iudicio inchoata voluntas contrahit. Hinc etiam no-  
 tum est proverbium: **Gemüths-Freunde sind oft besser**  
 als **Gebüts-Freunde.** Effectus itidem, qui in Jure ami-  
 citiae tribuuntur, non pauci sunt. Sic, ut alios praeter-  
 mittam, amicus pro amico sine mandato ad recuperan-  
 dam possessionem absentis spoliati admittitur L. 1. C. si  
 per vim, vel alio modo. Amici, amicorum defunctorum li-  
 beris, tutores petere possunt L. 2. pr. ff. qui pet. tut. &  
 suspectos postulare L. 44. ff. de neg. ges. Amicus, licet non  
 sit frater, si fraterna caritate diligitur, sub appellatione  
 fratris haeres institui potest L. 58. §. 1. ff. de bacer. inst.  
 Amicorum sicut & consanguineorum praesentia excludit  
 presumtionem fraudis & metus. L. 35. C. de Transact.  
 Magna amicitia a testimonio repellit. L. 3. ff. de test.  
 Equidem vox *amicus* vaga' admodum est ac incerta, non ta-  
 men quaeviis amicitia hic in censum venit. Ludica e-  
 nim, & quae ob sceleris communionem initur, vel ex  
 turpi vita, compotationibus scilicet & commensationibus,  
 oritur, in jure attendi non solet. Honesta saltē effectus  
 producit, de qua optime monuit PAVLVS in L. 223. §.  
 1. de V. S. *Amicos appellandos esse, non levi notitia conjunctos:*  
*Sed quibus fuerint jura cum patre familias, bonis familiariatis*  
*quaesita rationibus.* Quicquid demum sit, licet negari non  
 possit, si ejusmodi amicus pro altero agere vellet, adesse  
 presumtionem voluntatis principalis, quod causam su-  
 am a tali coniuncto suscipi velit: adesse presumtionem  
 dexteritatis in agente amico non minoris, quam in san-  
 guine juncto, quod negotia alterius ex communī affecti-  
 one omni fidelitate sit gesturus. MENOCH. de Praesum.  
 L. 3. praef. 124. n. 28. 29. Attamen, quoniam, vt saepius  
 jam monui, ad mandatum presumptum requiritur pre-  
 sumptio legis; casus vero hic de amicis in I.L. non sit le-  
 terminatus, nec privilegium, sine mandato pro se invi-  
 cem agendi, ipsis concessum legatur; hinc facilis est  
 conclu-

Sed minus  
 recte.

conclusio , etiam in judiciis sine mandato eos valide admitti non posse. Consentit praxis communis , & in specie de praxi Cameræ id attestatur GAIL. L. 1. ols. 133. n. 2. & de Pac. publ. L. 2. C. 10. n. 28. De fratre compotatio-  
rio , quod ex mandato praesumto agere non possit , vide-  
sis LINCK. Diff. de Fratern. compotat. §. 27. Idem de con-  
terraneo affirmat. SCHOEPFF. in Syn. Tit. de proc. n. 30.  
Annon vero limitatio facienda sit in iis , quos inter &  
principalem aliud adhuc praeter amicitiam vinculum  
intercedit , e g. vicinitatis , ita ut vicinus pro vicino &  
amico suo , ad exactionem cautionis damni infecti , vel  
noui operis nuntiationem , contra tertium in judicio sine  
mandato admitti possit ; alii videant. Mihi certe non  
iniquum videtur , licet quoad jus strictum de illo dubi-  
tandum esse non negem.

## §. X.

Succedit septimo ille , qui licet mandato consueto (VII) Qui  
instructus non sit , INSTRUMENTA tamen ad causam  
pertinentia in judicio exhibit. Hic enim ob praesum-  
ptum , ex possessione & oblatione documentorum , domini  
mandatum , ad rem in judicio persequendam sub cau-  
tione admittitur. Sunt quidem , qui cum LAVTER-  
BACHIO in Diff. de procurat. in rem suam. ib. 41. illud pror-  
fus negent. Neque negandum est , per sententiam  
contrariam , illud simpliciter affirmantium , securitati  
judiciorum non satis prospicere , quia fieri potest , vt  
quis instrumenta , inscio imo inuito domino , possideat,  
idcque hic , factio illius qui egit non contentus , litem  
denuo post longum tempus intenter. Conueniunt tamen  
plerique in eo , instrumenta negotii sive causae princi-  
palis secum habentem sine mandato in judiciis admit-  
ti , ob praesumptionem mandati pro ipso militantem.  
BRVNN. ad L. 1. C. de proc. n. 3. STRYCK. V. M. Tit.  
rem. rat. bab. §. 3. LAVTERB. Comp. Tit. de proc. LV.

F

DOV.

instrumen-  
ta ad cau-  
sam perti-  
nentia pro-  
ducit.

DOV. Doctr. ff. eod. Tit. §. 15. GAIL. L. i. Obs. 133. n.  
 4. COTHM. V. i. Resp. 54. n. 39. seq. MEV. Conf. 21.  
 n. 187. seq. vbi ita respondit: Weilen auch die Procu-  
 ratores die Instrumenta, Verschreibungen, und Urkunde,  
 womit die geforderte Schuld liquidiret, in Händen ge-  
 habt, und fürgezeiget, gibt solches genugsfähm an den  
 Tag, daß aus eignen Willen und Wohlgefallen sie die  
 Mühe nicht auf sich genommen, sondern befiehlt seyn  
 müssen. Et quidem, vt vult RÖSBACH. Proc. Civil. T.  
 20. n. 39. ea sub distinctione: aut enim probare potest,  
 instrumenta sibi tradita fuisse a domino ipso, & admittit  
 tur talis etiam sine aliqua cautione; aut exhibet qui-  
 dem, sed non probat sibi tradita fuisse a domino, &  
 admittitur cum cautione rati; quam tamen distinc-  
 tionem a DD. supra allegatis, praeter GAILIVM, non  
 attendi, sed simpliciter cautionem exigi, inuenio. Fun-  
 damentum hujus doctrinae est C. 34. X. de off. & pot.  
 jud. del. vbi Pontifex INNOCENT. III. ita inter alia re-  
 scripsit: quem tibi, & H. nuntio, & clero sanctae Agathae  
 aduersario tuo, qui cum instrumentis ejusdem ecclesiae, sed abs-  
 que litteris de ratificatione, ad Apost. sedem accesserat, sed de  
 rato cauerat, sub fidejussoria cautione concessimus auditorem. Hoc  
 solum moneo: euitandam esse circa hanc materiam  
 confusionem duarum quaestionum. Prior est, an per  
 possessionem, & oblationem instrumentorum, quis se  
 legitimet ad causam, ita vt rem suo nomine, tanquam  
 ex jure cesso, petere possit? quae est neganda, quoniam  
 titulus ad hunc effectum ab agente ex instrumento, de  
 alio loquente, probandus est, & de hoc casu loquitur  
 MEV. P. 7. D. 126. P. 8. D. 236. de Arrest. C. 10 n. 6.  
 Conf. LVDOVICI Diff. de legitim. ad caus. Altera est, an  
 per exhibitionem instrumentorum quis se legitimet ad  
 processum, ita vt causam alterius nomine tanquam pro-  
 curator sine mandato in judicio suscipere possit? quae  
 est

est hujus loci & affirmanda, hac tamen sub limitatione,  
modo sit procurator ordinarius, & alias vir integrae fa- Si vir inte-  
mae, quia tum ex possessione instrumentorum voluntas grae fidei.  
& mandatum domini causae praesumitur, vid. praeter  
*DD. supra allegat.* etiam MEV. P. 3. D. 23, qui licet ini-  
tio dissentiat, & solam productionem instrumenti, sine  
vteriori legitimatione, sufficere pro mandato non putet,  
eam tamen sub finem annexit limitationem: *modo melior*  
*legitimatio sine magna difficultate fieri posse;* alias qui producit,  
*cautione de rato sufficienti præstata,* ad agendum admitti potest.

Sane quid praxis Germanica de hoc casu disponat, ad. Sed an in  
modum dubium est. Obstat enim communi DD. sen- praxi ob-  
tentiae Ordinatio Cameralis, quae possessorem instru- seruetur  
mentorum sub cautione rati, ab initio saltem litis, & in  
praeparatoriis judiciorum, ea sub conditione admittit, vt  
in progressu litis mandatum verum & legale exhibeat.  
Ita enim P. 1. T. 21. §. 2. cautum legitur. Weiter sezen  
und ordnen wir, so die Procuratores in Recht erscheinen,  
mit Einbringung der Ladung, Instrumenten, Aeten, und  
anders der vorigen instant, und daneben zu Bestand sich  
erbieten, daß dieselbe auf ihren Bestand de rato, in praep-  
aratoriis judiciorum, bis zur Befestigung des Krieges zu  
gelassen werden, die in mittler Zeit treuen Fleiß fürwenden  
sollen, von ihren Principalen Ratification ihrer vorigen  
Handlung und furter Gewalts zu der ganzen Sach zu er-  
langen, und so einiger von ihnen in dem schäming würde,  
der soll alsdenn Kosten und Schaden, so auf die Sach gau-  
gen, von dem Seinigen ausrichten und bezahlen, und zu  
weiter Handlung der Haupt-Sach nicht zugelassen werden,  
ohn Erlaubniß des Gerichts. Hinc Jcti Wittebergenses,  
nomine SERENISSIMI DVCIS MEGAPOLITANI hanc  
legem secuti, pronuntiarunt; reum ex instrumento liqui-  
dissimo conuentum non posse prius condemnari, quam  
procurator mandatum creditoris exhibuisset, Sententiam  
F 2. videbis

videtis apud Celeberr. LEYSERVUM in *Medit. ad ff. T. I. p. 577.* conf. ID. T. 3. p. 528. p. 1088. Concludo denique verbis Illust. de BERGER. in *Oecon. Jur. L. 4. T. 9 §. 2. not. 7. in fin. at merito ambigas*, *vrum id in foro obseruetur*, *quum compererim, praecordia pro negante, non pro aiente sententia extare.*

## §. XI.

(IX) Liber-  
tus pro pa-  
tronio.

Quod ho-  
die vix ap-  
plicatio-  
nem ad-  
mittit.

Restat denique inter personas ex mandato praesumto agentes LIBER IVS, qui in Republ. Romana pro patrone, ob maximam, quae cum hoc illi intercedebat conjunctio, agere sine mandato poterat per L 35. pr. ff. de procur. Hodie quia nec servos proprie dictos, adeoque nec libertos veros habemus, hoc privilegium vix vsum habebit, nisi quis ad homines proprios in libertatem dimissos illud applicare velit. Certe a liberto ad Vasallum, vti alias in materia feudali frequentissime, ac plerumque non satis apte, a DD. solet fieri argumentatio, hic non petitum erit argumentum. Ad advocationem tamen & clientem, a patrono & liberto, concludere placuit MEV. P. I. D. 216. vt sicuti patronus pro liberto, ita etiam advocatus pro cliente, sine mandato appellare possit.

## CAP. IV.

DE EFFECTIBVS MANDATI  
PRAESVMTI.

Effectus  
sunt.

§. I.  
**E**xpositis ita capp. praece. fundamentis & requisitis mandati praesumpti, recensentisque personis eo instruictis, supereft, vt hoc capite de effectibus ejus pauca addam. Primus est, quod tollat exceptionem legitimatio-

nem,

*nis, seu falsi procuratoris.* [L]icet enim alias haec exceptio, (1) Ut per omnibus sine mandato in judicio litem suscipientibus, op-poni possit, & quamquam dilatoria adeo tamen privilegiata sit, vt non solum ante sententiam, in quavis ju- dicii parte, verum etiam post illam in ipsa executione, objici queat, quoniam ea probata judicium nullum re-putandum sit. C. 4 in f. X. de procur. BRVNN. ad L. 13.

C. cod. n. 7. seq. GAI. L. I. obs. 47. n. 2. BOHMER. J. E.

T. I. Tit. de procur. §. 17. Cessat tamen quadam personas Sed sine mandato praesumto gaudentes, ita vt haec ab hac exce-ptione tutae, sine exhibitione mandati veri, lites in judi-cio suspicere & peragere valide possint. Sic, vt ex in-numeris casibus, ex hoc generali praesupposito fluenti-bus, paucos in jure & autoritate DD fundatos afferam: Pater pro filia absente dotem exigit. L. 2. §. 2. ff. solut. ma-trim. Causam filii, non modo absque mandato ejus no-mine, sed etiam vt propriam suo nomine, agere potest pater MEV. P. 5. D. 31. Libellus, in quo liberi rem, parentibus suis debitam, proprio nomine petunt, tan-quam ex praesumto mandato sustinetur. LEYSER. Me-dit. ad ff. T. I. p. 580. Mater liberorum, etiam extra communionem cum ipsa viventium, causam sine exhibito mandato in judicio peragit. MEV. P. 8. D. 448. Mater si, cum filii rem sententia eversam animadverteret, provocaverit, pietati dans, dicendum est & hanc audiri debere, vt loquitur JCtus in L. I. §. 1. ff. de ap-pellat. recip. MEV. P. 5. D. 77. Frater fratri debita sine mandato exigit. BRVNN. ad L. 8. ff. de neg. gest. n. 1. ad L. I. & 2 C. quib. res. jud. non noc. STRYCK. Diff. de potior. fratr. jurib. C. 4. n. 26. Agnatus pro agnato ne-gotia, quae alias mandatum requirunt, etiam sine man-dato gerere, & sic feudi investituram pro absente & i-gnorante petere potest. MEV. Conf. 90. n. 141. Consors pro consorte, socius pro socio, sine mandato quandoque

arrestum valide petit. MEV. de Arrest. C. 7. n. 36. seqq.  
 In communi causa vnius appellatio alteri proficit licet  
 non adhaeserit appellationi MEV. P. I. D. 88. COTHM.  
*V.* I. Rep. 36. n. 102. Maritus denique citra mandatum  
 vxoris nomina exigit. L. ult. C. de pact. conv. L. 21. C.  
 de procur. Caetera exempla in Jure & DD. passim oc-  
 currentia brevitatis causa omitto. Illud tamen silentio  
 praetermittere non possum, ex allegatis modo exemplis  
 satis apparere, personas ex mandato praesumto agentes,  
 potissimum in causis saltem civilibus admitti. Circa re-  
 liquas causas enim, puto criminales, matrimoniales, &c.  
 idem obtinet in quasi procuratoribus, quod de veris ad  
*Tit. ff. de procurat.* a DD. satis prolixe tradi solet. Hoc  
 solum notandum, personas illas conjunctas quandoque,  
 ob singulare quoddam intereste, admitti in causis, alias  
 procuratorem non facile admittentibus, vid. BÖHM. *Diss.*  
 de posest. procur. in caus. criminal. §. 9. Ex hoc fundamen-  
 to pater agit ob injuriam filio illatam, L. I. S. 3. ff. de  
 injur. L. 17. S. 11. seqq. cod. L. 30. pr. ff. de pact. Mari-  
 tus item, si vxori, dominus, si servo, infertur injuria d.  
 L. I. S. 3. Quoniam & patris, & mariti, & domini in-  
 terest hasce personas subjectas ab injuria esse immunes,  
 & non possunt non & illi offendii, si hasce vident turpiter  
 & ignominiose tractari. c. I. 1. Non tamen idem obtinet  
 in fratribus, affinibus, aliisque conjunctis personis in  
 linea collateralis, qui ob injuriam fratri, affini, consan-  
 guineo, illatam, injuriarum agere non possunt CARPZ.  
*Dec. 33. per tot. BRVNN. Excoet. Justin. ad L. 4. T. 4. S.*  
 2. COTHM. V. 2. Rep. 87. n. 9. & 22. seqq. STRYCK.  
*Diss. de jur. ex alt. perf. permis. C. 9. n. 36. seqq.*

## S. II.

(II) Ut cau- Secundus mandati praesumti effectus est, quod pre-  
 tio de rato sita cautione de rato quasi procuratorem plene legitimet. Regu-  
 la

la enim alias DD. communis est : pro actore nemo admittitur in illis o-  
fine mandato etiam si praestare velit cautionem de rato. mnem de-  
BRVNN. ad L. I. C. de proc. ad L. 39. ff. eod. n.3. STRYCK. fectum  
Diff. de poss. per caut. non aufer. C. I. n. 16. MARTIN. ad suppletat.  
process. Sax. tit. 7. §. I. n. 10. seqq. Ratio est : quod omni  
proxius mandato destitutus sit falsus procurator; si vero  
falsus procurator inveniatur nec dici controveriae solent, nec pot-  
est ipse judicium, vt loquuntur Imp. in L. 24. C. de procur.  
actest igitur hic defectus insanabilis, qui per cautionem  
de rato suppleri non potest. Quatuor tamen casus af-  
fert BRVNN. ad L. 39. ff T. cit. n. 3. quibus procurator  
ad cautionem de rato in judicio admittitur ; (1) si ipse  
dominus non cavit, quod tamen hodie per clausulum de  
rato, mandato inferendam, semper fit. (2) Si manda-  
tum est dubium; (3) si mandatum est certum, sed in-  
sufficiens; (4) si mandatum est praesumtum, vt si con-  
juncta persona pro conjuncta agat. Ultimus est hujus  
loci, quod enim plenae probationi veri mandati, in per-  
sonis mandato praesumto instructis, deest, id per cau-  
tionem rati suppletur. Sic VLPIANVS in L. 39. §. I. ff. de  
procur. Qui alieno nomine agit quamcumque actionem, id ratum  
habitetur eum ad quem ea res pertinebit, cavere debet Jung.  
L. 40. §. f. ff. eod. L. 33. §. 3. ff. eod. & L. I. C. eod. Pa-  
ter itaque si de dote agat, cavere debet rem ratam filium  
habitum, juxta L. 39. §. 3. ff. eod. Maritus in rebus  
vxoris citra mandatum cum solemini tamen satisfactione  
admittitur. L. 21. C. eod. Commune negotium agi qui-  
busdam absentibus in solidum potest, si praesentes rem  
ratam dominum habiturum cavere parati sint. per L. 2. C.  
de conf. ej. lit. Consanguinei in foris ROSTOCHIENSIBVS  
agere pro se invicem possunt, licet non sint procurato-  
res ordinarii, modo praestent cautionem de rato, secun-  
dum ord. Judic l. supr. cit. conf. STRYCK V. M. Tit. rem.  
rat, hab. §. I. seqq. HOPP, ad §. 3. J. de satisd. CARPZ.

P. I.

P. I. C. I. def. 29. n. 7. HILLIG. ad Donell. L. 18. C. 12.  
lit. D.

## S. III,

Quae debet peti ante litis contestationem, ob verba L. 40. §. 3 ff. de procur. Rati-  
tibabitonis autem satisfatio ante litis contestationem a procuratore  
exigitur; ceterum semel lito contestata, non compellitur ad cau-  
tionem. Illud vero inter DD. controversum, an judex ex  
officio illam possit injungere, an vero solum ad petitio-  
nem adversarii. Prius affirmat BOEHMER. in J. Eccl. T.  
I. Tit. de off. Jud. §. 53. cui adstipulatur RIVIN. in spec.  
except. for. c. 7. n. 15. SCHWENDEND. ad Fib. P. I. c.  
2. m. 3. §. 6 n. 152. Posterior placet MEVIO P. 4. D.  
361. ita vt adversario licet illam exigere, judex vero  
non decernere possit, nisi ad desiderium partis, cum quo  
consentire videtur BRVNN ad L. 40. f. de procur. n. 5.  
vbi ait, quod reus sibi imputare debut, quod cautionem  
non exegerit. Quantum mihi videtur, prior sententia  
magis facit ad securitatem judicii, ideoque alteri merito  
est praefenda, nec video, quid obstet, quo minus ju-  
dex, sicut in genere mandatam a procuratoribus, illud  
non exhibentibus, ex officio exigere potest, ita & cau-  
tionem de rato, a personis mandato praesumto instruetis  
loco exhibitionis veri mandati praestandam, injungere  
queat. Quomodo haec cautio rati praestanda sit, ex ge-  
nerali DD. de cautionibus & satisfactionibus doctrina,  
facile patet. Jure Romano scilicet regulariter praesta-  
batur per fidejussores L. 1. ff. qui satisd. cog. & si immobi-  
lium possessor quis erat, per nudam stipulationem, L. 15.  
pr. ff. eod. Hodie in cautionibus judicialibus vbique fere  
etiam pignora admittuntur, quoniam fieri solet, vt cer-  
tam quantitatem determinet judex, vsque ad quam caveri  
debeat. Praxis igitur circa cautiones in foro vistata, ex  
ordinationibus judicialibus ejusque loci, addiscenda est.

In

Quomodo  
praestanda  
est?

In Saxonia cautio haec praestanda est realiter, würdig i. e. fidejussionibus, vel pignoribus; fieri etiam potest sub hypotheca honorum, & per depositionem pecuniae, non vero jurato. BERGER. *Oecon Jur.* L. 4. T. 9. §. 2. not. 8. CARPZ. *proc. Tit.* 5. *art.* 6. n. 10. & L. 3. *Resp.* 7. n. 13. seq.

## §. IV.

Quodsi principalis gesta a quasi procuratore ratihabere non vult, ex hac cautione committitur stipulatio, hoc est, oritur *actio ex stipulatu* contra promissorem siue de rato cauentem ad interesse, in quantum stipulatori, cui cautum est, absuit, quantumque lucrari potuit, per L. 2. L. 13. pr. L. 19. ff. rem. rat. bab. Hinc si pro parte tantum ratihabeat dominus, pro parte etiam stipulatio tantum committitur, L. 18. cod. Evidem BERGERVS in *Resolut.* Lauterb. p. 93. actionem hanc ex stipulatu eo saltem pertinere putat, vt quasi procurator diligentiam in procuranda, colligitoris a se defensi, ratihabitione praefet, non vt etiam interesse non consecutae ratihabitionis solvere debeat, excepto casu, cum negligentia aut culpa ejusdem arguitur; quoniam haec sit natura promissionis, se curaturum, vt, cum in ipsius potestate non esset praecise efficere factum alterius, non nisi operam & industriam suam promisisse intelligatur. Consentit cum eo BERLICH. P. 2. D. 234. Add. MEV. P. 6. D. 406. COTHM. *Resp.* 50. V. 5. Prior tamen sententia rectior & in LL. allegatis magis fundata videtur, quam tuetur STRYCK. ad Lauterb. *Tit. rem. rat. bab.* Interesse vero hic non est aestimandum ex quantitate petita, ita vt aestimationem totius litis solvere debeat de rato cavens, quoniam principalis re vera obligatus manet, ita vt, cessante e-

G

jus

Producit  
ctionem  
ex stipula-  
tu.

jus ratificatione, litem de novo contra illum fuscitate possit aduersa pars L. 4. C. de rer. perm. sed ex futura victoria, & quia haec dubia adhuc & incerta difficultisque probationis, plerumque impensarum saltem factarum restitutio peti solet, teste STRYCK. I. c. Aliam adhuc viam suppeditat stipulatori MEVIVS P. 4. D. 365. vt scilicet mandatum petat a judice, quo sub certa poena quasi procuratori injungatur, vt praefret, quod promisit, hoc enim modo difficilima interesse definitio facili negotio evitatur. Sed annon cautio haec rati etiam complectitur cautionem de judicato solvendo? ita vt quasi procurator ratihabitione non secuta ad judicatum solvendum teneatur. Affirmat LAVTERB. Diff. de cau. rat. th. 40. & cum eo BERGER. I. c. qui tamen in Occon. Jur. I. supr. all. not. 10. & Elect. Discpt. forens. p. 226. seqq. eam addit limitationem, modo ipsem principialis solvendo existat, hanc subiectens regulam: quoties ille, pro quo causum est, est solvendo; toties cavens ad solvendum judicatum tenetur: quoties autem ille, pro quo causum est, non est solvendo; toties nec cavens ad solvendum judicatum tenetur. Mitiorem tamen sententiam fovet BERLICH. P. a. D. 234. & carentem de rato a solvendo judicato liberat, si fecit quod potuit. Siquidem qui alienum factum promittit, liberat se, si id praefret, quod in se fuit. Idem sentit BRVNN. ad L. 1. C. de procur. in fin. & ad L. 19. ff. rem rat. hab. hac tamen sub limitatione, nisi alia mens contrahentium probetur, si v. g. expresse conventum, vt si tertius nolit ratum habere, quod tunc de rato cavens ejus loco solvere velit. Conf. omnino MEV. P. 4. D. 365. qui modum, quomodo pro ratihabitione impetranda agendum & procedendum, paucis sed optime exponit.

§ V. Ter.

Tertius mandati praesumti effectus est, quod persona<sup>e</sup> eo instructae eandem nanciscantur potestatem, quam veri procuratores ex mandato vero generali. Constat enim ex principiis Juris Romani, dominium litis in procuratores esse translatum, & quidem in veros procuratores per litis contestationem, antecedente mandato principalis L. 4. in fin. ff. de appell. L. II. L. 22. L. 23. C. de procur. in quasi procuratores per satisfactionem de rato, vel judicato solvendo, quae instar mandati erat, & accedentem litis susceptionem, §. 3. J. de satisd. L. 35. §. 3. ff. de proc. L. 43. §. 6. cod. vti egregie haec explicat ILL. BOEHMEL. in Diss. de domin. lit. C. I. §. 25. seqq. Quaenam igitur licebant veris procuratoribus ex vero dominio litis, modo ordinario translato, ea etiam licebant quasi procuratoribus ex quasi dominio litis, modo extraordinario acquisto. Hodie cestantibus rationibus, quae dominium litis apud Romanos introduxerunt, cessat ipsum dominium litis in sensu juris Romani, quique hodie supersunt ejus effectus, non subtilitates illas juris Romani, sed aliam rationem, naturam puto processus vel mandati, vel aequitatem, pro fundamento habent. Ea tamen potestas, quae veris procuratoribus in praxi tribui solet, etiam quasi procuratoribus haud erit deneganda. Ex his dis- tis, quae jure Romano & praxi hodierna profluunt conclusiones, omnes enarrare nimis longum foret, & limites dissertationis facile superaret. Quasdam igitur saltem hic referre lubet, a quibus facilis ad cacteras erit argumentatio.

Sequitur hinc (1) quod quasi procuratores principalem, pro quo agunt, etiam in reconventione te G 2 Hinc pos- sunt (1) principa- nean.

lem in re-  
conuentio-  
ne defen-  
dere.

neantur defendere. Ita enim VLPIANVS censet L. 35. pr. ff. de proc. sed & hae personae procuratorum debebunt defendere, quibus sine mandato agere licet. & in L. 33. §. 4. eod, aequum praetori vi sum est, eum, qui alicujus nomine procurator experitur, eundem etiam defensionem suscipere. Add. L. 39. §. 3. eod. Quia enim sunt litis domini, merito quoque connexa litis necessaria suscipere debent. Notum enim est, ipsam conventionem ad finem perduci non posse, nisi reconventio simultaneo tractetur processu, ut ita quasi pro vna lite habeatur. C. 1. 2. X. de mutuis. petit. & idem, qui pro auctore in conventione agere velit, etiam illius defensionem in reconventione suscipere teneatur. Dicuntur inde defensores necessarii, ad eos distinguendum a voluntariis, qui cum vel sine mandato reum defendunt, de quibus Cap. I. §. 6. actum est, & in eo a necessariis differunt, quod hi, in omnibus causis in judicium a reconveniente deductis, teneantur auctorem defendere; illi vero possint saltim in vna causa reum defendere, nec compellantur in aliis. causis idem praestare L. 46. §. 1. ff. de proc. ibique BRVNREM. Videtur quidem hactenus dictis obstare L. 17. C. de procur. vbi Imperatores ita disponunt: *in iuriis procriptionem nemo suscipere cogitur, nec eandem ultra, nisi provocacionis causa, extendere.* Sed nec defensionem absentis subire compellitus: *cum fidem suscepitam implere sufficiat.* Quare etiam DD. in conciliando hoc textu cum prioribus mirifice allaborant. WISSENBACH. Dec. 12. ib. 5. hunc textum de eo intelligit, qui cum mandato pro auctore intervenit, priores textus vero ad eos restringit, qui sine mandato cum cautione de rato admittuntur. Alii, in quibus est DONELL. L. 18. C. 16. lit. N. VASQV. L. 2. contr. 23. n. 1, hac distinctione rem componere student, quod procurator auctoris non teneatur defendere principalem absolute,

Imo de-  
bent.

lute, bene tamen causative, scilicet nisi velit ut ipsi  
 denegetur actio L. 43. §. 3. ff. de procur. L. 5. C. eod.  
 vt ita simpliciter non teneatur, etiam in reconventionis  
 simultaneo processu defendere, si nolit, & a tota-  
 lite discedere malit. Nec desunt, qui alia adhuc di-  
 stinctione vtuntur, scilicet, quod procurator actorem  
 teneatur defendere, quando de defensione satisdedit  
 per L. 35. §. 3. ff. de procur. nisi justas habeat causas,  
 cur a defensione absolvatur L. 43. §. 6. L. 44. seq. ff.  
 eod. vel stipulationem committi, & interesse vel poe-  
 nam stipulatione comprehensam solvere malit, per LL.  
 alleg. quando vero nulla satisdatio praefixa, tunc non  
 obligatus sit ad defensionem BRVNN. ad L. 5. C. eod.  
 n. 3. STRVV. Euolut. controu. eod. tit. th. 35. Q. 3. Sed  
 prae omnibus placet eorum sententia, qui d. L. 17. C.  
 intelligunt de casu, si judicium quod suscepit procu-  
 rator, jam finem accepit; quod tum de novo defen-  
 sionem principalis in reconventione subire non  
 teneatur, vti quidem obtinet moribus Saxonici,  
 quoniam ibi reconuentio, finita demum conven-  
 tione, suscipitur STRVV. S. J. C. Ex. 7. th. 35.  
 L. B. de LYNCKER in Analect. ibid. Secus igitur, si in  
 ipso litis exordio statim reconueniatur procurator, quo  
 casu defensionem principalis detrectare non potest.  
 STRYCK. Diff. ad L. 14. C. de Sent. & interl. C. 3. §. 12.  
 GIESEBERT. de Reconu. C. 4. n. 17. 21. Idem tenet  
 praxis iis in locis, vbi jus commune in materia re-  
 conventionis obseruatur, vti hic in MEGAPOLI per  
 Ord. Jud. Provinc. P. 2. T. 20. In foris nostris RO-  
 STOCHIENSIBVS, quamuis alias Jus Lubecense obti-  
 neat, in materia reconventionis tamen praeualet jus com-  
 mune, vid. Ord. Judic. Rost. P. 1. T. 17. Conf. Camerarianus  
 labor. ad duclum L. 5. Jur. Lub. Notanda tamen haec limita-  
 tio, quod dicta procedant, si procurator reconueniatur ex

persona & obligatione sui principalis, non si proprio nomine; esset enim tunc non idem, sed aliud mutatis personis judicium, ideoque procurator respondere non tenebitur arg. L. pen. ff. de compens. STRYCK. l. c. MOLIGNAT. de reconu. qu. 17.

## §. VII.

(2) Substi-  
tuere.

Sequitur (2) quod quasi procurator alium possit substituere. Quicunque enim in judicio potest agere, ille etiam procuratorem potest constituere, nisi expresse prohibetur L. 43. S. 1. ff. de procurat. Nulli vero prohibita conjunctis & consortibus illa constitutio, sed quod ipsis licet, idem etiam per alias facere non prohibendi sunt, vti rete cum SICHARDO ad L. 8. C. de proc. n. 8. argumentatur MEV. P. 5. D. 97. n. 4. Imo si procuratores, mandato alterius constituti, possunt substituere, cur non illi, qui ex Lege jus agendi fine mandato in judicio habent, etiam potestate substituendi gaudeant? Jure Romano quidem veri procuratores ante item contestatam substituere non poterant, nisi speciale substituendi ante item mandatum haberent, vel essent procuratores in rem suam. L. 33. C. de donat. BRVNN. ad L. 8. C. de procur. bene tamen post item contestatam, quia per eam facti erant litis domini, L. 8. II. 23. C. de procur. L. 8. §. 3. ff. mandat. L. 4. in f. ff. de appell. Quam distinctionem quoad quasi procuratores attendendam non esse putat MEVIUS l. 6. hanc addens rationem: quod ratio diversitatis sit intra illum, qui ex lege jus agendi, adeoque & procuratorem constituendi potestatem, habet, & qui tantum ex mandato, in quo persona industria eligitur. In illo non est causa cur constitutio vetatur: in hoc vero ratio est, quae impedit, quamdiu non accedit, unde permititur, quod per litis contestationem accedit, ex qua domi-

post L. C.

*dominus litis redditur.* Sed haec sententia, praeterquam quod paullo obscurior sit, certe juri civili haud conveniens esse videtur. Quoniam secundum principia Juris Romani procuratori in genere, alieno nomine agenti, nihil licere poterat ante factam dominii litis translationem, quaeque ideo tam in veros procuratores per litis contestationem, quam in quasi procuratores per satisfactionem & litis susceptionem, fieri necessario debet, neque ullibi ratione horum legitur exceptio. Hodie vero, praesertim iis in locis, ubi potestas substituendi procuratori, neque ante, neque post litem contestatam, competit, nisi ipsi expresse in mandato concessa; magis dubium videtur, quid dicendum sit de quasi procuratoribus, qui nullo prorsus mandato instructi sunt. Ast non video, quid obstat, quo minus ex eodem fundamento, quo lex ipsius facultatem agendi in judicio sine mandato concessit, etiam facultas substituendi absque mandato eis reliqua censeatur. Conf. MEV. Conf. 2 L. n. 169.

## §. VIII.

Sequitur (3) quod' quasi procurator possit restitu<sup>(3)</sup> *tionem in integrum pro principali petere.* Sed inci- denter faltem. Notandum enim est, restitucionem in integrum, vel principaliter aduersus sententi- am, quae transit in rem judicatam, aut negotium celebratum, ex quo quis laesus est; vel incidente contra lapsum fatalium, aut sententiam intra terminum appellandi. STRYCK. diss. de cauf. incid. c. 6. §. 12. seqq. Priori modo non nisi a procuratore speciale mandatum habente peti potest E. 25. S. I. ff. de minor. C. 7. X. de in integr. rest. ideoque regulariter non a quasi procuratoribus ob tradita Cap. 2. §. 7. Excipitur qui- dem

Non qui-  
dem prin-  
cipaliter.

dem in L. 27. pr. ff. de minor. pater, qui pro filio in re peculiari restitutionem petere potest, sed hoc sit ob singulare ejus interesse, quare etiam quoad caeteros cognatos eadem lege expresse sit limitatio. Ita enim censet C A J V S d. l. Patri pro filio omnimodo praefixa restitutio est, licet filius restitu nolit: quia patris periculum agitur, qui de peculio tenetur. Ex quo apparet, caeteros agnatos, vel adfines alterius esse conditionis, nec aliter audiri oportere, quam si ex voluntate adolescentis postularent.

Bene tamen Posteriori modo, ut petatur restitutio, sufficit mandatuma incidenter. generale, quoniam tali mandato continetur potestas implorationem petendi, eaque peragendi sine quibus lis commode ad finem perduci nequit arg. L. 56. seqq. ff. de procur. STRYCK. I c. §. 14. BRVNN. ad L. vn. C. etiam per procur. caus. in integr. Hinc concluderé nullus dubito, restitucionem a cognatis caeterisque personis conjunctis ex mandato praesumto non minus incidenter peti posse. BRVNN. ad L. 25. ff. de minorib. quam a veris procuratoribus ex mandato expresso generali MEVIVS P. 5. D. 96.

## §. IX.

(4) Appellationem interponere & prosequi possint. Quamuis enim Jure ciuili dubium sit, num procurator appellacionem interponere non solum, sed etiam prosequi qui. praecise debeat. Cum alii hoc ad illum casum restringant, si ad omnes litis causas datus sit procurator, & illum qui ad vnam litem datus est, appellacionem interponere, sed non prosequi debere, contendant, inter quos est WVRMSER. L. 1. T. 5. obs. 9. Alii vero ex natura dominii litis, in procuratorem translati, hoc in genere affirment, vi cuius totam litem peragere & ad finem usque perducere, ideoque appell-

appellationem non tantum interponere, sed etiam  
prosequi obligatus fuerit. L. 18. ff. de appell. L. 2. C. de  
procur. causa enim finita dici non potest, si appellatum  
est, sed tunc demum, si appellatio quoque ad finem  
est deducta L. 2. ff. an per al. caus. appell. L. 1. inf. ff.  
ad SCtum Turpil. L. 31. §. 2. ff. de neg. gest. Accedit, quod  
in L. 17. C. de procur. alibique, sola vox provocationis  
indefinitae occurrat, quam cum effectu, non de sola  
interpositione, & justificatione, sed integra persecu-  
tione appellationis, intelligendam esse recte contem-  
dunt. STRYCK. V. M. Tit. de procur. §. 43. LAVTERB.  
in Colleg. pract. ad eund. Tit. §. 65. BOEHM. diss. de domi-  
lit. C. 2. §. 25. Jure tamen Canonico per C. pen. X. de  
procur. necessitas haec in tantum sublata est, vt inter-  
ponere quidem appellationem debeat procurator, vel  
domino denunciare, vt ipse appelleat; non vero illam  
prosequi, nisi velit. Posteriorius quoque in praxi rece-  
ptum esse testantur. STRYCK. l. c. BOEHM. diss. all. C.  
3. §. 17. & in Jur. Eccl. T. I. Tit. de procur. §. 57. quoque  
bi citant DD. Idem igitur & de quasi procuratoribus e-  
rit dicendum. Sic pater pro filio ratione sui interesse  
ad appellandum admittitur L. 2. §. 2. ff. quand. appell.  
& contra filius pro patre etiam sine mandato. L. 23.  
§. 2. ff. de appell. Mater filii rem sententia eversam a-  
nimadvertens, & pro eo prouocans, audiri debet L. 1. §.  
I. ff. de appell. recip. Maritus pro vxore absque manda-  
to agere, item prosequi, & a sententia judicis primae  
instantiae ad superiorem appellare potest GAIL. L. I.  
obs. 133. n. I. non aequo vxor pro marito, nisi in libe-  
rali causa ID. l. c. n. 8. seqq. Unus consortum communi-  
nomine appellationem pro caeteris sine iporum man-  
dato recte prosequitur MEV. P. I. D. 87. COTHM. Cum fin-  
V. I. Rep. 35. n. 101. Sed & hoc insuper notandum ve-  
gulari pri-  
nit, vilegio.

nit. Cuilibet quidem extraneo pro alio, in civili causa condemnato, appellare, ut mandatum non habeat, licet, ita tamen ut ratificationem principalis intra decendum afferat L. 1. pr. de appell. rec. c. 28. C. 2. qu. 6. & si prosequi appellationem velit, mandatum principalis exhibeat. Quasi vero procurator nec mandato eget, nec ratihabitione, sed appellat & prosequitur pro conjuncta persona appellationem, modo de rato caveat, MEV. P. 5. Dec. 77.

## §. X.

(IV) Ut actiones in vicem, ori-  
antur.

Quartus denique mandati praesumti effectus est, quod actiones principalem inter & quasi procuratorem producat. Distinguendi tamen hic erunt casus. Aut enim duranti adhuc litis expeditioni accedit ratihabitio principalis; aut demum post negotium plene absolutum. Priori casu, quoniam ratihabitio aequiparatur mandato, C. 10. de R. J. in 6to. & secundum L. 60. ff. de R. J. qui ratum habuit, quod gestum est, obstringitur mandati actione; negotium hoc mandati praesumti mutatur in contractum veri mandati, easdemque propterea parit actiones, quae inter mandantem & verum procuratorem locum habent. L. 46. S. 4. seqq. ff. de procur. quas hic explicare supervacaneum foret. Magis nobis querendum erit de casu posteriori. Evidem BERGERUS in Resolut. Lauerb. p. 93. & in Oecon. Jur. L. 4. T. 9. §. 2. not. 10. actionem hoc casu orientem vocat quasi negotiorum gestorum. Nec inique, quoniam a vera negotiorum gestorum actione saltrem obiecto differat, quod haec circa negotia extrajudicialia gesta, illa circa judicialia versetur. Attamen non video, cum alias omnes termini, in materia veri man-

mandati adhiberi soliti, per voculam quasi materiae mandati praesumti a DD. applicentur; cur non etiam actionis nomen ex illa mutuare, ideoque actionem ex mandato praefumo profluentem dicere possimus actionem quasi mandati, vel, si aliis magis placet, actionem mandati vitalem. Sed in verbis sumus faciles, modo conveniamus in re. Hoc certum est, oriri inuicem actionem duplcem, alteram directam, alteram contrariam. Illa datur principali adversus quasi procuratorem, ad rationes litis gestae reddendas, & damna data resarcienda. Quae hic ratione culpa; ex materia de veris procuratoribus, cum doctrina de negotiis gestis collata, repetenda essent, brevitatibus causae omitto. Illud saltem singulare noto, quod a quasi procuratoriis male gesta, sive ex culpa, sive absque omni culpa, plane non praejudicent principali, ita ut sententia contra quasi procuratorem lata non transeat in rem judicatam contra principalem. Ita enim rescriperunt Imp. in L. 1. C. quib. res. jud. non. noc. si neque mandasti fratri tuo defensionem rei tuae, neque quod gestum est, ratum habuisti, prae scriptio rei judicatae tibi non obterit. Et ideo non proibebis causam tuam agere sine praejudicio rerum judicatarum. Et in L. 2. C. cod. Res inter alios judicatae, neque emolumen afferre bis, qui iudicio non interfuerunt, neque praejudicium solent irrogare; ideoque nepti tuae praejudicare non potest, quod adversus cohaeredes ejus judicatum est, si nihil adversus ipsam statutum est. Ex quibus textibus recte colligunt GODOFREDUS & BRVNNEMANN. ad eisd. conjunctam personam quidem agentem & excipientem pro conjuncta persona admitti sine mandato, hoc tamen conjunctae personae absenti non praejudicare. Imo hoc sponte sua sequitur ex cautione de rato, a quasi procuratoribus praestanda. Si enim gesta eorum

Directa.

H 2.

prae-

praejudicarent absenti, cautio haec foret supervacanea, non igitur facile quoad damna data resarcienda, locum habebit directa haec, principalis contra quasi procuratorem, actio, sed consultius omnino illi erit, si male ab hoc gesta non ratihabeat, & actiones sibi contra tertium restitui petat.

## §. XI.

**Contraria.** *Contraria actio datur quasi procuratori adversus principalem, ad expensas restituendas & indemnitatē consequendam. Intelligo scilicet casum, si principalis gesta ratihabeat; Sin minus enim, quia gesta ei non praejudicant, etiam ad expensas restituendas obligari non potest. Hinc BERGER, in. Refol. Laut. p. 93. docet, contrariam hanc actionem referendam solum esse, ad indemnitatē praestandam, non similiter ad ratihabendum per se gesta v. g. praescriptionis interrupcionem a litis consorte admisam. Sed dicis: facile fieri posse, vt principalis malitioso animo ratihabitionem deneget, & officium adeo suum quasi procuratori reddatur damnosum. Perplacet igitur sententia MEVII P. 4. D. 365. putantis: tempus praefigi posse principali, intra quod ratihabeat, aut, quare id facere nolit, declareret, & sic per mandatum ratihabitionem injungi posse, eo cum effectū, vt si forte renuens ratihabitionem ad litem regredi vellet, postea succumbens non expensarum solum, sed etiam fruicolae litis, poenam patiatur. Quo praesupposito, hic applicanda erunt tradita DD. ad materiam negotiorum gestionis, de expensis restituendis, si scilicet sint utiliter factae, nec ab iis personis erogatae, in quibus animus donandi adesse praeſumitur. BRVNN. ad L. I. C. de neg. gest. ILL. a KLEIN. Diff. de praefacti, donat.*


## §. XIII.


• (61) •

§. XII.

Haec sunt, B. L. quae pro instituti ratione, & Conclusio  
quidem, ne dissertationis academicae terminos nimi- dissertationis.  
um transgrediar, brevibus, de mandato praesumto  
in medium proferre volui; quae forte omissa, vel pro  
ingenii mei tenuitate minus recte posita, candori Tuo  
supplenda vel emendanda relinquens. Quod restat,  
D. O. M. primitias has laborum meorum devotissi-  
me consecro, gratias agens immortales pro clementis-  
sima studiorum directione, & gratia mihi hac vice  
largissime concessa. Adgit porro conatibus meis, &  
vt studia mea in nominis sui sempiterni glori-  
am, proximi, patriaeque cedant salutem,  
faxit.

T A N T V M .









Rostock Diss., 1728-32



3

f

Sb.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
Inches  
Centimetres

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS JVRIDICA  
DE

# MANDATO PRAESVMTO

QVAM  
SVB AVSPICIS NVMINIS DIVINI,  
ET

CVM CONSENSV AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS,  
PRAESENTE

VIRO MAGNIFICO,  
EXCELLENTISSIMO, CONSVLTISSIMO, AMPLISSIMO,

DN. ERN. JOH. FRID.

SS. ANN. E. 3. E. L.

PHIL. ac JVR. DOCT. CELEBERRIMO, INSTIT. PROFESSORE  
PVBL. ORD. FACVLT. JVRIDICAE DECANO SPECTA-  
BILISSIMO, & h. t. ACADEMIAE RECTORE,  
PATRONO AC PRAECEPTORE COLENDISSIMO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQUE JVRE HONORES RITE CAPESSENDI,  
IN ACADEMIA PATRIA VARNIACA

Die 3. April. Anno MDCCXXXII.

H. L. Q. C.

Publico Eruditorum examini submittit

CAROLVS HENRICVS SS. Cöller,  
ROSTOCH. MEGAPOLIT.

ROSTOCHII,

Typis IO. IACOB. ADLERİ, SEREN, PRINC. & ACAD. Typogr.

KÖNIGLICHE  
UNIVERS.  
ZU HALLE